



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

Liber XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER XXXVII.

S. BONIFACIUS IV. PAPA.
PHOCAS IMPERATOR. AGILULPHUS
REX.

§. I.

S. Theodori Siceotæ Obitus.

Cum portentum in multis Galatiæ Ur-
bibus visum ad Thomam Patriar-
cham Constantinopolitanum fama
detulisset; Cruces, quæ in Supplicatio-
nibus portabantur, nemine commoven-
te fuisse vehementissime agitatae, expa-
vescens

Sæculum VII
A. C. 610.

Vita Theod.
c. 14. ap. *Boll.*
tom. 11. p. 58.

Rr 2

vescens

Sæculum VII vespens S. Theodorum Siceotam Constantinopolim accersivit. Is Joannem Presbyterum Discipulum suum Patriarchæ obtulit, rogans, ut eum Monasteriorum suorum Præpositum Generalem constitueret. Annuit Patriarcha, & Pallio donatum dimisit, Munere suo fundarum. Phocas Imperator chiragræ podagræque doloribus vexatus S. Theodorum ad se vocavit, quo orante & sibi manus imponente, melius habere cœpit, & que S. Viri precibus commendavit; S. Theodorus monuit Principem, si exaudiri vellet, torquere alios, & humanum sanguinem fundere desineret; quippe cum sciret, esse, qui contra se conjurassent, ante paucissimos dies Constantinam Mauritiæ Imperatoris viduam, multosque alios primæ nobilitatis viros evivis sustulerat.

*Theoph. an.
5. p. 247. Chr.
Pasch.*

Thomas Patriarcha rogavit S. Theodorum, ut sibi diceret, an revera Cruces vi superna commotæ fuissent, vel fraudis subesset, atque Viro sancto afflicto, prodigiosum fuisse motum, precibus institit, ut sibi aperiret, quid illud esset, quod incredibili prodigio denunciaretur; id vero cum manifestare cunctaretur, Patriarcha ad ejus pedes procidens asseverabat, non surrecturum se, nisi quod peteret, obtinisset. Tunc S. Theodorus dixit: *Nolui eloqui, quod tibi*

tibi dolendi causa futurum esset, non enim ^{Sæculum VII} grata esse poterunt, quæ scire cupis; sed ^{A.C. 610.} quia ita voluisti, scito, grandia mala nobis istis motibus portendi. Multi Religionem Nostram abjicient, invadent nos Barbari, multum sanguinis effundetur, ruina magna, & Seditioes universo orbi imminet. Ecclesiæ deserentur, Servitium Divinum cessabit, Imperii Romani hostes & exitium haud procul absunt. Restat, ut, quod boni Pastoris est, Deum ores, qui fortasse de tantis malis, quia Misericors est, aliquid demet. Istud S. Theodori Vaticinium de incursionibus Perfarum, qui anno sequente Provincias Imperii depopulati sunt, aut fortasse de peste, quam Arabes Musulmanni paulo post attulerunt, accipiendum videtur.

Patriarcha lacrymis madens S. Abbatibus Orationem exposcebat, qua a Deo peteret, ut se ex hoc mundo eriperet, priusquam ingentes calamitates videret; tum S. Theodorum in patriam suam redire parantem, quia adveniebat tempus, quo in solitudinem secedere consueverat, Constantinopoli illa hyeme remanere coëgit, quippe rumor increbrescebat, ultimam huic Civitati imminere perniciem, sperabatque, Virum Sanctum inducias a Deo impetraturum. Itaque cum S. Thomas Patriarcha obit, Theodorus extra Palatium Episcopale versari cuperet, concessit Thomas, ut

R r 3

ad

Saeculum VII ad Monasterium S. Stephani Romanorum
 A. C. 610. diverteret, ubi Festa Domini Natalitia
 in quiete & solitudine transegit. Interim
 Patriarcha morbo tentatus est, misitque
 ad S. Theodorum qui suo nomine roga-
 rent; oraret ipse ad Deum, ut sibi ex
 hac vita migrare concederet. Vir San-
 ctus respondit; imo oraturum se, ut Deus
 ad utilitatem gregis Pastorem conserva-
 ret. Sed iterum misit Patriarcha, qui
 eadem rogaent. Tunc vero Vir San-
 ctus per Diaconum suum Epiphanium re-
 nunciari jubet: *Quia ardentissime petis
 liberari & ad Jesum Christum ire, oravi,
 & obtinui. Itaque si vis, ut ad te
 veniam, sine mora ibo, secus, videbitur
 nos invicem in Jesu Christo.* Patriarcha
 gaudio exultans Theodorum e sua soli-
 tudine evocare noluit, moxque, cum
 Phocas Imperator ad eum visendum ve-
 nisset, Episcopali Benedictione omnibus
 data, magna constantia mortem oppeti-
 tit die Veneris, 20. Martii, Indictione
 decima tertia, anno 610.

Mense sequente Aprili die decimo-
 octavo, in quem inciderat Sabbatum San-
 ctum, Patriarcha Constantinopolitanus
 ordinatus est Sergius Diaconus Majoris
 Ecclesiae & Hospitio Praefectus, qui Se-
 dem annis viginti novem tenuit. Ipse
 Ordinationis suae Nuncius Theodorum
 Siceotam adivit, cumque Psalmos canen-

Thomas V.
 S. Theodorus

tem invenisset, ad pedes ejus provolutus rogavit, ut Gratiam a Deo in illius Dignitatis fastigio necessariam impetraret, fassus, juvenem se esse pauperem. Vir Sanctus, erectum amplexus, dixit: *Ideo juveni grave onus imposuit Deus, ut vires tibi suppetere, quibus mala nobis impendentia tolerares. Forti animo esto, & in Deum confide. Diuturnum erit Regimentuum & illustre.*

S. Theodorus Siceota Constantinopoli degens, illos, qui post Sacram Communionem balneo utebantur, redarguebat; dicebat enim, quod homines unguentati non solerent lavari, ne suavitas odoris auferretur. Monachi illius Monasterii, in quo versabatur, faciem ejus, non advertentis, depingi curarunt; tumque ipsi ostenderunt Imaginem rogantes, ut eam benediceret. Ille subridens dixit: *fures estis, Imaginem tamen benedixit.* *Vita c. 15.*
 Multa edidit Constantinopoli Miracula, *Mart. Rom.*
 & ad Monasterium suum reversus, *22. April.*
 elapso triennio nempe anno 613. 22. April. quo Ecclesia Memoriam ejus colit, migravit in Cœlum. Vitam ejus Eleusius ejusdem Discipulus scripsit, qui duodecim annis cum ipso versatus multa miracula præfens testis viderat.

§. II.

Successio Patriarcharum.

Sanctus Eulogius Alexandrinus defun-
 ctus

Rr 4

ctus

Sæculum VII ctus creditur anno 606. postquam annis
 A. C. 610. viginti septem sedisset, cujus memoriam

Mart. Rom. Ecclesia 13. Sept. honorat. Successor
 13. Sept. illius fuit Theodorus, cognomento Scri-
Chr. Niceph. bo, quem, cum sedisset annis duobus,
Chr. Pasch. Hæretici jugularunt anno Phocæ Impe-
 p. 382. ratoris septimo Indictione duodecima

Met. c. 1. ap. est anno 609. Ad Cathedram Alexan-
Boll. 22. drinam deinde assumptus est Joannes, in

Jan. tom. 2. Cypro natus, Epiphaniï illi Insulæ Præ-
 p. 517. fecti filius. Is uxorem habuerat, sed ea

Leonc. c. 13. deinde liberisque amissis totum se Deo
 n. 81. *ibid.* dedit, magnam facultatum suarum par-
 p. 514. tem in pauperes erogans. Itaque quan-
 vis nunquam fuisset Monachus, nec Cle-
 ricis adscriptus, tamen dignus habitus
 est, qui Sacerdotio fungeretur. Ceterum
 sub nomine S. Joannis Eleemosyna-
 rii notissimus est.

Chr. Pasch. Eodem anno 609. obiit Hesy chius seu
 p. 382. Isaac Patriarcha Jerosolymitanus, cui Za-
 charias Presbyter & arario Constantino-
 poli Præfectus successit. Anno sequen-
 te 610. sub finem Sept. Indictione deci-
 ma quarta ineunte nuncium Constanti-
 nopolim affertur, Anastasium Patriar-
 cham Antiochenum a Judæis commotum
 in Christianos Seditioe fuisse interfe-

Theoph. an. 7 ctum. Furiosi per urbem occisi Episcopi
 p. 248. corpus probrose raptarunt multosque ex
 Primoribus Civium peremptos flammis
 tradiderunt. Igitur ne impunitæ essent
 cades

cædes horrendæ, Phocas Bonosum Orien- Sæculum VII
tis Comitem & Cottonem militum Ma- A. C. 610.
gistrum creavit, eosque in Rebelles im-
misit, qui multos eorum ultimo suppli-
cio affecerunt, multos membris mutila-
tos e Civitate ejecerunt. Ecclesia Ana- *Martyr. R.*
stasium inter Martyres 21. Dec. colit. *21. Dec.*

§. III.

Phocæ exitus. Heraclius Imperator.

Ex indignis duorum Patriarcharum Ale-
xandri & Antiocheni cædibus in-
tra tam breve tempus commissis fatis li-
quet, quantum Phocæ Auctoritas vilue-
rit, quem foris Persæ laceffebant Orien-
tem depopulantes, domi vero novi iden-
titem conjurati impetebant. Eum tan-
dem oppressit Seditio Heraclii Africa Præ-
fecti, qui invitante Senatu filium suum
Heraclium cum classe misit. Appulit il-
le die Dominica quarta Octobr. Indictio- *Theoph. p.*
ne decima quarta nempe anno 610. San- *248. 249.*
ctæ Virginis Imaginibus ex malis pen- *Chr. Pasch.*
dentibus. Altera die Phocas ex Eccle- *p. 382.*
sia Archangeli in Palatio, quo confuge-
rat, abstrahitur, & in Heraclii conspe-
ctum adducitur, manu dextra trunca-
tur & mox capite, membra per urbem
ad horrorem spectantium circumferun-
tur, raptatur corpus & tandem flammis
injicitur. Eadem die Lunæ quinta Octob.
Heraclius a Sergio Patriarcha Imperator

R r 5 corō-

Sæculum VII coronatus est, simulque cum Eudocia
A. C. 610. Rogati Africani filia sibi desponsata, quæ
 paulo ante ipsum advenerat, nuptias ce-
 lebravit. Ita ambo Coronam Imperii &
 etiam Conjugalem secundum Ecclesiæ

Theod. Bal. Græcæ Ritum acceperunt. Heraclius
in Cant. 13. triginta annos integros imperavit. *Fe-*
epist. Bas. ad runt Phocam præcepisse, ut milites in
Amph. p. 949 bello occisi honore Martyribus debito
Sup. l. XVII. colerentur, sed obstitisse Episcopos, ni-
 xos præcipue Auctoritate S. Basilii, sua-
 dentis, ut illi, qui hominem in bello oc-
 cidissent, triennio a Communione ab-
 stinerent.

n. 14.

§. IV.

Ecclesia Anglicana.

Beda II. hist. In Anglia S. Augustino Cantuariensi de-
 c. 4. functo Laurentius ejus Successor non
 minore zelo laboravit, ut novella Eccle-
 sia incrementa caperet. Non satis ei fuit,
 Saluti Anglorum invigilare, sed etiam
 Britonum, veterum in illa Insula Indi-
 genarum, & Scotorum, qui posteriore
 tempore Hiberni dicti fuere, curam ge-
 sit. Utrique Nationi consuetudines sua,
 præsertim circa tempus celebrandi Pa-
 scha erant; igitur ut errantes ad concor-
 diam Ecclesiæ Universalis reducerentur,
 ipse & Socii Mellitus & Justus juncta ope-
 ra iisdem scripserunt. Epistolæ, quæ ad
 Episcopos & Abbates totius Scotiæ, id est
 Hiber-

Hiberniæ, directa fuit, exordium erat Sæculum VII
A. C. 610.
hujusmodi: *Cum in Insulam advenimus,*

Britones & Scotos maximi faciebamus, nam credebamus, quod Ritus Ecclesiæ Universalis retinuissent; postquam vero cognovimus, quales sint Britonum mores, putavimus, Scotos certe Britonibus esse meliores, verum ex vitæ ratione, quam tenent Dagamus Episcopus, qui in hanc Civitatem venit, & Abbas Columbanus, qui in Galliam navigavit, intelleximus, ipsos a Britonibus non differre. Nam Dagamus Episcopus non solum nobiscum manducare, sed etiam in illa domo, in qua nos manducavimus, cibum sumere respuit.

Laurentius Episcopus in eundem modum cum Fratribus suis ad Episcopos Britonum scripsit, eos ad unitatem Ecclesiæ reducturus; at utrinque operam perdidit.

Haud multo post Mellitus Episcopus Londinensis Romam profectus est cum Papa Bonifacio IV. de rebus Ecclesiæ Anglicanæ tractaturus. Cum igitur Papa anno Phocæ octavo Indictione 13. tertio Cal. Martii, id est, 27. Febr. anno 610. Concilium congregasset, Mellito cum Episcopis Italiæ sedente, illa omnia, quæ ad vitam & quietem Monachorum pertinebant, ordinata sunt. Mellitus in Angliam reversus Papæ epistolas ad Laurentium Archiepiscopum, Clericos, Ethelbertum

Sæculum VII
A. C. 610. bertum Regem, & totam Anglorum Nationem datas attulit. Idem prope Civitatem Londinensem, qua Occidentem spectat, Monasterium in Insula dicta Thorneia fundavit, cujus Ecclesia ad honorem S. Petri dedicata est, atque ob situm Westmonasterium, id est, Monasterium ad Occidentem, vocatum.

§. V.

Toletum Metropolis.

Sup. Lib. XXXVI. n. 48 Tom. 5. Conc. p. 1620. In Hispania eodem anno 610. Viterico Rex Gundemarus successerat, cujus Regni anno primo decimo Cal. Nov. 648. id est 23. Octob. anno 610. Episcopi Provinciæ Carthaginensis, Toleti congregati, illius Civitatis Episcopum Metropolitanam suam esse professi sunt, aduentes, etiam semper fuisse, atque in hujus rei argumentum Concilium Toletanum II. cui Montanus Episcopus anno 531. præfuerat, adducebant. Huic Decreto Episcopi quindecim subscripserunt; nomen vero Episcopi Toletani non legitur, quia nempe Judex in propria causa esse non poterat. Gundemarus Rex Rescripto edito Decretum Concilii confirmavit, declaravitque, Carpetaniam, cujus olim Metropolita Episcopus Toletanus credebatur, non esse Provinciam separatam, sed Provinciæ Carthaginensis partem. Huic Declarationi Rex & Episcopus

Sup. Lib. XXXII. n. 22.

Episcopi viginti sex, quorum primus est ^{Sæculum VII}
Isidorus Hispalensis, subscripserunt, dein- ^{A.C. 610.}
de Nomina Archiepiscoporum Emerita-
ni, Tarraconensis & Narbonensis visun-
tur. Constitutionis Episcopo Toletano
faventis causa fuit, quod hanc Civitatem
Gothorum Reges in Sedem sibi delege-
rint.

§. VI.

Secundum S. Columbani Exilium.

Sancto Columbano in Gallia, postquam
Vesuntione redierat, diu quiescere
non licuit, quippe Rex Theodoricus sæ- ^{Jon. vit.}
pius ministros misit, qui eum e Mona- ^{c. 35. Etc.}
sterio suo Luxoviensi exire, & in patriam
suam remeare, compellerent. Statue-
rat S. Abbas, non obedire, sed potius
expectare, donec ex loco, in quem Dei
voluntate advenerat, vi ejiceretur; ni-
hilominus cum cerneret, ipsius causa ce-
teros Fratres periclitari, sponte abiit an- ^{Sup. Lib.}
no, ex quo in hoc Deserto commora- ^{XXXV. §. 9.}
batur, vigesimo, nempe 610. Comita-
bantur fugientem Patrem fratres, haud
parcius flentes, quam si defuncti exe-
quias duxissent; sed nec isto solatii ge-
nere frui omnibus concessum, nam, qui
Abbatem jussu Regis custodiebant, non
omnibus abeuntem sequendi licentiam
fecerunt, sed illis solum, quos ex Hi-
bernia vel Britannia socios adduxerat,
reli-

Sæculum VII
A. C. 610.

reliquis, qui in Galliis nati erant, reme-
nere iussis. Hos bonus Senex Deo com-
mendabat, sibi que a propriis membris a-
velli videbatur. S. Columbanus Disci-
pulum nullus carior fuit Eustasio, po-
steriore tempore Luxovii Abbate, cuius
Mietius Episcopus Lingonensis, Avuse-
jus, curam singularem gessit.

Cum S. Columbanus Nannetum de-
duceretur navem conscensurus, & in via
ad urbem Antiffiodorum divertisset, di-
xit ad Ragamundum, quem Rex Theo-
doricus Viro Sancto proficiscenti Custo-
dem dederat, memineris, Clotarium,
quem hodie vilipendis, post lapsum trium
annorum Dominum tuum futurum. In
hac profectioe aliqua patravit miracula,
cumque Nivernum pervenisset, inde se-
cundo flumine Ligeri a suis Ductoribus
devectus est Aurelianum, ubi Sancto Vi-
ro in ripa pernoctandum fuit, quia datus
a Rege Custodes non permiserunt, ut
saltem ad visitandas Ecclesias in urbem
intraret. Imo Discipulis ejus panem ad
cœnandum in urbe quærentibus nemo
dare audebat, ne Regis mandata spe-
nere videretur. At mulier ex Syria ho-
spes commiseratione mota eos in domum
suam introduxit, & quæ necessaria erant
suppeditavit. Ipsi ut beneficium red-
derent, ejusdem mulieris virum ab ali-
quot annis cœcum ad S. Columbanum
addo

S. Columba-
nus peregrina-
nus.

adduxerunt, qui ei lumen reddidit. Tu-
rone, cum Vir Sanctus licentiam descen-
dendi & S. Martini Sepulchrum visendi
obtinere non posset, navigium prope por-
tum stetit immobile, itaque desiderio suo
satisfecit, & totam noctem orans apud
Sacras Reliquias exegit. Sequenti die
S. Columbanus ab Episcopo Turonensi
Leopario ad prandium invitatus Viro
Principi simul accumbenti & Theodori-
ci Regis foederato denunciavit, Regem
& Liberos ejus intra spatium trium an-
norum perituros, & totam ejus stirpem
extinctam iri.

Vir Sanctus Nannetum perductus a-
liquo tempore ibi commoratus est, &
verisimile videtur, ex illa Civitate ad
Monachos suos Luxovienses dedisse E-
pistolam illam Prudentiæ & Charitatis
notis eximiam. In exordio hortatur, ut
in hac persecutione constantes sint, &
inprimis concordiam conservent. Præ-
cipit, ut obediant Discipulo suo Attalo;
eidem tamen liberam facultatem dat,
ut vel apud ipsos remaneat, vel ad se
veniat. Si autem illinc discedere ve-
lit, illius Monasterii Fratribus Abbatem
dat, cui nomen Valdolenus. Tum ser-
mone ad solum Attalum directo jubet,
ut remaneat, si id animabus expedire
crediderit, *Si vero, addit, periculum vi-
deas, veni ad me; sed loquor de periculis*
E

Sæculum VII
A. C. 610.

Epist. 3. to.
12. Bibl. PP.
Lug. p. 26.

Sæculum VII & *divisione animorum, quia timeo, ne*
A. C. 610. *etiam in domo vestra super Quæstione de*
Paschate dissensio oriatur, & me absente
vobis desit constantia. In fine subjungit:
Dum hæc scribo, adsunt, qui denunciant,
præparari navigium, quo etiam invitum
in patriam revebar; si autem fugam me-
ditarer, nemo est, qui obstet, imo suspi-
cor, gratum me custodibus facturum, si
fugiam. Plura scribere cupientem tabu-
la plena deficit. Ordinem Charitas scri-
pulose non curat, hinc in Epistola ista
confusio regnat. Conscientias vestras
scrutamini, si meliores & sanctiores estis
sine me, nolite præsentiam meam expectare,
econtra vero cavete, ne mea absentia vo-
bis sit occasio quærendi libertatem, qua
vos vitiorum servituti manciparet. Si
cognoscitis, vos in via virtutis regredi,
& me absente Attalum toti Monasterio
regendo imparem esse, Congregationem
convocate, & eligite vobis Præpositum.
 S. Columbano in Urbe Nannetensi
 commoranti Sofronius illius loci Episcopus
 non modo nullum solatium attulit
 sed etiam se junxit Theobaldo Comitis
 urgenti S. Abbatis abitum, ut Mandatis
 Regis obtemperaretur. Ecce autem, cum
 navem, qua in Hiberniam devehendus
 erat, incumbentium ventorum impetu
 a portu repulisset, istud navis Dominus
 in omen traxit, & quamvis Viri Sancti
 ra

res & Socios jam recepisset, ipsum tamen ^{Sæculum VII} vectorem habere noluit. Itaque S. Co- ^{A. C. 610.} lombano non solum in diversorium redire licuit, sed etiam quocunque vellet pergere, imo & pecuniam dederunt, necessarium iter facientibus subsidium.

§. VII.

S. Columbanus in Neustria.

Inde abiens Vir Sanctus ad Regem Clotarium II. Chilperici Filium, Francis in Neustria imperantem, & tunc in Oceani littoribus versantem se contulit. Non ignorabat Rex Sanctum Virum a Brunehilde & Theodorico persecutionem pati, hinc venientem tanquam Cœli donum suscipiens, opem prolixè promisit, si in Regno suo Sedem sibi vellet eligere; at S. Columbanus, veritus, ne remanendo similtates inter duos Reges fovere videretur, quod offerebatur accipere recusavit. Eum tamen, quamdiu potuit, Rex apud se retinuit, ejus salutaria monita de vitiis in aula sua grassantibus audivit, & promisit emendationem. Viro Sancto ibi commorante, atque lite inter duos Fratres Theodebertum & Theodoricum circa Regnorum limites exorta, eodem anno 610. ex quo regnabant, decimo quinto, uterque, ^{Fred. 6. 37.} missis ad Regem Clotarium Legatis, auxiliares copias rogabat. Is S. Columbani

Hist. Eccles. Tom. VIII.

S s con-

Sæculum VII consilium expetiit, qui suavit, ut nullius
A.C. 610. partibus accederet, elapso enim triennio Regna utriusque ad ipsius Dominum deventura. Jam tertio S. Vir ipsum vaticinabatur, cui fidem adhibuit Clotarius, & tranquille eventum expectavit.

Exinde S. Columbanus a Rege prædium obtinuit, quo tutus in Regnum Theodeberti deduceretur, inde transiit in Italiam. Urbem Parisiensem intranti occurrit Energumenus, quem liberavit. Meldæ Chagnericus vir nobilis, & Regi Theodeberto a consiliis, venientem excepit, promisitque curaturum se, ut ad Regiam deduceretur. Huius Viri Domui Sanctus Vir benedixit, filiamque ejus adhucdum adolescentulam, cui nomen Fara, postea virtutum splendore illustrissimam, Deo consecravit. Inde ad vicum, cui tunc Ulciacum, hodie *Eussy*, nomen, divertens a Dynasta Athario & Aiga Conjuge ejus suscipitur. Horum filii tunc parvulis, quibus nomina Adon & Dadon, benedixit, futuris aliquando Sanctitate celeberrimis viris.

S. Columba-
ni itinera.

Tandem S. Columbanus ad Regem Theodebertum pervenit, qui Sanctum magno gaudii affectu suscepit. Jam tunc aliquot Monachi ex Monasterio Lexovienfi Patrem secuti fuerant, atque

ex manibus inimicorum elapsi videban-
 tur. Promittebat Theodebertus, se in
 Regno suo locum Discipulis ejus com-
 modissimum concessurum, & proximum
 illis Nationibus, ubi Fidem prædicandi
 occasionem haberent, qua nihil exopta-
 bilius S. Columbano in suis itineribus
 accidere poterat. Itaque Vir Sanctus
 oblato beneficio lætus conscensa navi-
 cula Rheno, nobilissimo fluvio, usque
 Moguntiam devectus est, inde semper
 adverso fluvio navigans in Arolam na-
 vium capacem & deinde Linatum de-
 latus usque ad extremam partem lacus
 Tigurini pervenit. Tum usque Tugium
 penetranti placuit Regio amœnissima,
 atque in illa Eremo habitandi propositum
 cepit. Haud procul inde terram insi-
 debant incolæ impii & crudeles. Idola
 adorabant, his immolabant victimas, Au-
 guria & Divinationes superstitionissime
 captantes. Cum S. Columbanus his
 Barbaris verum Deum prædicare cœpis-
 set, quadam die ad eos pergens, vidit Sa-
 crificium præparari, atque ingens labrum
 cerevisia repletum in medio congregati
 populi positum. Quærenti, in quem u-
 sum hæc attulissent, responderunt, hoc
 libamen Deo suo Vodano, quem aliqui
 latine Mercurium, alii Martem esse dice-
 bant, esse offerendum. Afflavit Vir San-
 ctus, moxque vas illud magno fragore

Sæculum VII
 A. C. 610.

Vit. S. Gal.
c. 4. to. 2.
Aff. Bened.
p. 231.
v. Coint. an.
 610. n. II.

Sæculum VII in frustra diffiliit & cerevisia in terram
 A.C. 610. effusa est. Obstupescentes Barbari dice-
 bant, robustum spiritum huic viro in-
 esse. Ipse hortabatur, ut abjectis hujus-
 cernodi Superstitionibus quisque in do-
 mum suam rediret. Multi conversi sunt,
 & Baptismum acceperunt, alii jam ante
 hac baptizati vitam secundum præcepta
 Evangelii, quod dimiserant, instituerunt.

vit. Col. n. 53. S. Gallus Religionis zelo animatus, in-
 census eorum templis, dona omnia Deo
 oblata, quæ in iis asservabantur, in la-
 cum projecit; quapropter irritati Bar-
 bari ipsum interficere, S. Columbanum
 vero virgis cæsum & ludibrio habitum,
 e Regione sua expellere statuerunt.

Cum ergo crudele consilium Viro
 Sancto detectum fuisset, relictis obstina-
 tis hominibus ad Oppidum Arbonem ad
 Lacum Constantiensem situm cum suis
 perrexit. Ibi obvium habuit Villima-
 rum Presbyterum, Virum pietate infir-
 mæ, qui ei locum fertilem & situ ju-
 cundum montibus circumdatum indica-
 vit, ubi modici Oppidi, quod Brigantium
 seu *Bregents* dictum fuerat, rudera
 viscebantur. Illuc cum Sociis perve-
 niens S. Columbanus invenit Oratorium
 S. Aureliæ sacrum, ubi Cellulas sibi con-
 struxerunt. In illo Oratorio seu Eccle-
 sia conspiciebantur simulacra aenea de-
 aurata parieti affixa, quæ vicini populi,
 reli-

Ecclesia
S. Aureliæ.

relicto Ecclesiae Altari, adorabant, & Sa-
 crificia afferebant, dicentes, hos esse ve-
 teres illius loci tutelares Deos. S. Co-
 lumbanus S. Gallo, scilicet istorum ho-
 minum linguæ gnaro, præcepit, ut po-
 pulum ad abjiciendum Deorum cultum,
 & verum Deum adorandum exhortare-
 tur, cumque illa dies, qua hujus Eccle-
 siæ Festum celebrari solebat, illuxisset,
 maxima populi multitudo confluit,
 pluresque viros peregrinos videndi cu-
 pido, quam Festum accivit. Tunc igitur
 S. Gallus Fidem prædicare, omnes-
 que vehementer hortari cœpit, ut se
 converterent. Tum inspectantibus om-
 nibus correpta Idola saxi comminuit,
 & in lacum projecit. Hoc factum qui-
 busdam saluti fuit, alii indignantes re-
 cesserunt. S. Columbanus jubens a-
 quam afferri, eam benedixit, Ecclesiam
 asperxit, & cum suis circuiens dedicavit.
 Deinde invocans Nomen Domini Alta-
 ria unxit, Reliquias S. Aureliæ immisit,
 cooperuit, & Missam celebravit, quibus
 peractis gaudens & exultans populus
 recessit.

Vir Sanctus Brigantii annos circiter
 tres versatus exiguum condidit Mona-
 sterium, in quo fratrum aliqui hortum o-
 lerum, alii frugiferas arbores excolebant,
 alii pisces capiebant, ipse retia conficie-
 bat. Cum aliquando S. Columbanus
 S s 3

Sæculum VII
 A. C. 612.

vit. n. 55.

Columbanus
 pro-Brigantii.

Sæculum VII propositum cepisset Venedis seu Sclavis, A.C. 612. in vicina Regione degentibus, Fidem prædicandi, Angelus ei conspicuus factus monuit, sterilem laborem fore; igitur acquievit, donec in Italiam proficere liceret.

n. 57.

Sup. Lib.
XXXII.

§. 45.
Fredeg. c. 38.

Interim bello inter Theodoricum & Theodebertum Fratres recrudescente S. Columbanus istum adiit, suavitque, ut Clericis adscribi peteret, aut quod magis esset profuturum, Monachorum Institutum amplecteretur, ne unacum Regno etiam salute æterna privaretur. Ratum moverunt Regi, & omnibus audientibus hæc S. Abbatis verba; tum direrunt, rem esse inauditam, ut Rex ex stirpe Merovingica genitus sponte sua Clericus voluerit ordinari. (S. Clodoaldus ignorasse videntur) Dixit ad Regem S. Columbanus; *Nisi sponte hoc feceris, breve post tempus coactus facies.* His ad suum Monasterium rediit. Vera dixisse S. Virum eventus probavit, nam Theodoricus anno decimo septimo Regni ipsorum id est anno 612. Theodeberto bellum intulit, & bis prælio vicit. Illi tempore, quo altera jam pugna fraternitatis acies ad Tolbiacum dimicabant, S. Columbanus in eremo sua super antiqua cæsæ quercus truncum sedens legebat; mox in somnum lapsus est, ex quo evigilans advocato Chagnoaldo Monacho inter

inter suspiria significavit, hac ipsa hora Sæculum VII
A. C. 612.
 duos Reges Fratres prælium committe-
 re, & jam multum sanguinis effusum.
Pater mi! inquebat Chagnoaldus, *pre-*
cibus tuis Theodeberto auxiliare, ut Theo-
doricum, nostrum omnium hostem, prosti-
get. S. Columbanus dixit: *Mali consi-*
lii tu mihi Auctor es. Non hoc suadet
Dominus Noster, qui nobis pro inimicis
nostris orare præcepit. Justus Judex
Deus est, & vitæ necisque Dominus; quod
sibi videbitur, de his Principibus decer-
net. Theodoricus prælio victor fugien-
 tem Theodebertum consecutus, suorum
 perfidia proditum cepit, misitque Brune-
 childi Avixæ custodiendum, quæ cum
 Theodorici partibus faveret, Theodeber-
 tum Clericum ordinari, & post paucos
 exinde dies interimi jussit.

§. VIII.

Sanctus Columbanus in Italia.

Cum igitur Theodoricus Regionem il-
 lam in suam potestatem redegisset, vit. S. Gal.
c. 8.
 credidit S. Columbanus, jam sibi securo
 esse in hoc loco non licere. Sed etiam
 alia suberat fugiendi causa, nam Regio-
 nis Incolæ impatientissime ferentes, quod
 eorum Idola sustulisset, apud Ducem
 Gunzonem conquesti sunt, hos Adve-
 nas venationi nocere. Dux missis man-
 datis Monachos inde abscedere jussit.

Sæculum VII Ergo communi consilio in Italiam per-
A. C. 612. gere statuunt, securitatem ibi sub Agi-
 6. 9. lulphi Regis Tutela sperantes. Brigantio emigrantes solus S. Gallus non est secutus, qui tunc febris laborans accepta S. Columbani Benedictione remansit. Is postea in loco non multum inde remoto Monasterium condidit, quod hodieque Auctoris sui nomen gerit.

Rex Agilulphus S. Columbano humanissime excepto potestatem fecit Sedem figendi ubicunque commodum videretur. S. Columbanus, cum Mediolani versaretur, Arianos coram ex SS. Scripturis impugnavit, atque etiam calamo refutavit. Interim vir, nomine Jucundus, Agilulphum Regem adiit, dicens, in Deserto montis Appennini & loco, qui Bobium dicebatur, ad Trebiam S. Petri Ecclesiam esse, ubi Prodigia fierent; circumjacens solum fertile esse irriguum & piscibus abundans. Hunc igitur locum S. Columbanus, quo cum suis reciperetur, elegit, Ecclesiam vetustate pene collapsam restauravit, & extruxit Monasterium, quod hodieque existit.

Conjectura est, sub idem tempus S. Columbanum Epistolam dedisse super Quæstione de Tribus Capitulis ad Bonifacium IV. Papam, rogante Rege Agilulpho, qui illorum Defensoribus favebat.

ep. 4. to. 12.
Bibl. PP.
Lug. p. 18.

Ind. 2. 8. 3.

bat. Vir Sanctus in illa Epistola errans circa factum, & a Schismaticis deceptus, (*) certum putat, Vigilium Papam in Hæresi decessisse, & Nomen ipsius inter Nomina Episcoporum Catholicorum recitari miratur. Hortatur Papam, ut se suamque Ecclesiam ab Hæresis suspicione purget convocata Synodo, in qua Fidem accurate exponat; nam Concilium quintum rejicit, quod existimet, in illo Errorem Eutythis approbatum fuisse. Rursus Papam admonet, ut corrigere conetur corruptos Italorum mores, cujus mali culpam præcipue in Schisma rejicit.

Sæculum VII
A. C. 613.

Epistola ad
Papam.

Rex Theodoricus paucis tantum mensibus Theodeberto Fratri supervixit, obiitque anno Regni sui decimo octavo, Jesu Christi 613. cui Sigebertus filius adhuc puer sub Brunehildis Proaviæ suæ regimine successit. Hunc duosque Fratres ejus Corbonem & Meroveum Clotarius Rex, bello illato, captos peremit; quartus, cui nomen Sigebertus, fuga se exitio eripuit. Brunehildem quoque, nam & hanc in suam potestatem redegit, crudelissimo mortis genere (***) sustulit.

vit. Col. n. 58.
Fredeg. c. 39.
40. &c.

S s 5 lit.

(*) Scilicet non tam errare, quam agnita Veritate in errore perseverare hæreticum facit.

(**) Brunehildis Athanagildi Visigothorum Regis

Sæculum VII lit. Ita huic Clotario, quemadmodum
A. C. 614. olim Clotario Avo ejus, Regni sui anno
 31. & Christi 614. fors obtigit, ut solus
 Francis imperaret. Tunc vero videns
 vit. n. 62. Vaticanium S. Columbani impletum esse,
 accersitum venerabilem virum Eustasium,
 qui Luxoviensi Monasterio præerat, ro-
 gavit, ut ad S. Columbanum proficisce-
 retur, quoscunque ex Proceribus vellet,
 secum duceret, vades futuros Regiæ fidei,
 & Virum Sanctum ad reditum in Galliam
 suo nomine invitaret.

Eustasius sumptibus publicis iter in-
 gressus ubi ad S. Columbanum pervenit,
 quod sibi mandatum fuerat, exposuit.
 S. Senex gaudio exiliens, quod carissimum
 suum Discipulum tam diu non visum con-
 spicere liceret, eum apud se aliquantis-
 per retinuit. Dum dimisit, hortatus est,
 ut sollicite curaret, ne Disciplina in suo
 Mona-

Regis in Hispania & Gosvinthæ Filia, Sigebert
 Regis Austrasiæ uxor, ob non nulla Pietatis ope-
 ra, a S. Gregorio Magno & S. Germano laudat-
 turpissimam atrocissimamque mortem subire co-
 acta est, sed merita, nam præter alia crimina &
 libidinem insatiabilem decem Regum, incredi-
 bile! Interfetrrix habebatur. Narrant Scripto-
 res, eam jubente Clotario Rege & toto infan-
 tante exercitu equæ indomitæ caudæ illigatam
 & per castra raptatam, donec sparsis frustillatim
 membris expirasset.

Monasterio ullatenus labefactaretur, mandavitque, ut se Regi Clotario excusaret, diceretque, se jam longam professionem suscipere viribus fractis non posse, sed Regem rogare, ut Monasterium Luxoviense Regia potentia tueretur. Eustasio etiam Epistolam dedit ad Regem deferendam, quam lætus recepit, ut ut severis admonitionibus plenam; Monasterium vero fovit, magnis redditibus locupletavit, & spatium, sicut S. Eustasius cupiebat, ampliavit.

Sæculum VII
A. C. 614.

S. Columbanus uno non plus anno in Monasterio Bobiensi versatus migravit in Cælum undecimo Cal. Dec. id est 21. Nov. quo die Ecclesia ejus memoriam colit. Annus vero Christi 615. fuisse creditur. Corpus ejus Bobii sepultum multis claruit miraculis, & vitam Jonas ejusdem Monasterii Cænobita post annos viginti octo scripsit.

Mart. Rom.
21. Nov.

Acta Ben. to.
2. p. 123.

Bobii Successorem habuit S. Columbanus Attalum Discipulum suum. Is in Burgundia natus & a Patre S. Arigio Episcopo Vapincensi Monasticis Disciplinis imbuendus traditus, vitæ perfectioris desiderio ad Monasterium Lerinense transit; cum vero Disciplinam ibi relaxari cerneret, Luxovium venit, seque S. Columbani Regimini subjecit. S. Columbano defuncto annis duodecim illud Monasterium rexit, atque anno 627. ad æterna translatus est.

§. IX.

Sæculum VII
A. C. 614.

§. IX.

Bonifacii IV. obitus. Deusdedit
Papa.

Anast. Mart.
Rom. 25.
Maj.

Bonifacius IV. Papa fati functus est anno 614. & ad S. Petrum sepultus 25. Maji, quo die Ecclesia ejus Memoriam celebrat. Domum suam in Monasterium converterat, & multis Reditibus auxerat. Duabus Ordinationibus mense Dec. Diaconos octo, & aliis temporibus ad diversas Ecclesias Episcopos triginta quinque creavit. Cum Sacram Sedem tenuisset annis sex & octo mensibus, Successorem habuit Deusdedit, qui 13. Nov. eodem anno 614. ordinatus annis ferme tribus sedit. Erat is Natione Romanus Stephani Subdiaconi filius, qui Ordinis Clericalis amantissimus statuta antiqua renovavit.

§. X.

Jerosolyma a Persis capta.

Interea Persæ Orientem depopulabantur. Nam Phoca imperante pacem fregerant, quasi Mauriti & Filiorum ejus necem ulturi. Primo Heraclii imperantis anno captis urbibus Edessa & Apamea usque Antiochiam pervenerunt. Anno secundo Cæsaream in Cappadocia, quarto Damascum suæ potestati subjecerunt, & quinto nempe hoc anno 614. Indi-

Theoph. p.
250. 251. 252

Indictione secunda mense Junio, superato Sæculum VII
 Jordane Palæstinam, ipsamque Jerosoly- A. C. 614.
 mam subegerunt. Multa millia Clerico- Chr. Pasch.
 rum, Monachorum, Sanctimonialium,
 Virginum trucidata. Incensæ Ecclesiæ
 & sanctum Sepulchrum, quæcunque ali-
 cujus pretii erant, & vasa innumera di-
 repta, & inter alias Reliquias veræ Cru-
 cis Lignum abvectum. Zacharias Pa-
 triarcha cum ingenti populi multitudine
 in captivitatem abstractus, & hæc
 omnia paucos intra dies effecta. Judæi
 magnum numerum captivorum redeme-
 runt inhumano sane consilio, ut omnes
 interficerent, & Christianorum sanguine
 satiarentur. Aliqui ad nonaginta millia
 hominum illa Judaica rabie perempto-
 rum memorant. Nicetæ Patricii indu-
 stria, & opera cujusdam amicorum Sar-
 baræ Perfarum Ducis factum, ut duæ
 pretiosæ Reliquiæ Spongia & Lancea sa-
 cræ Passionis servarentur, quæ Constan-
 tinopolim missæ. In illa Civitate S. Spon-
 gia in majore Ecclesia, S. Cruci affixa in
 Festo Exaltationis (*) 14. Sept. eodem
 anno populorum oculis exposita est. Sa-
 cra Lancea die Sabbati 26. Octob. allata;
 quod cum die sequente in majore Eccle-
 sia

(*) Festum exaltationis S. Cruci in Oriente
 diu prius quam in Occidente celebratum. Hæc
 quæstio infra recurret.

Sæculum VII
A. C. 614.

si populo fuisset denunciatum, diebus Martii & Mercurii a Viris, & diebus Jovis Venerisque a fœminis adorata est.

*Antioch. ep.
ad Eust. to. 1.
Auct. Bibl.
PP. p. 1022.*

Laura
S. Sabæ.

Octiduo ante quam Jerosolyma caperetur, S. Sabæ Lauram Arabes hostiliter invaserunt, sive Persis serviebant, sive hujus belli occasione licentius grassabantur. Plerisque Monachis salutem in fuga quærentibus non plures quam quadraginta quatuor, nimirum Seniores, & qui virtutibus excelebant, remanserunt. Hi a puero Monasticum Institutum amplexi in illis Exercitationibus incanuerant. Eorum aliqui annis quinquaginta vel sexaginta ex Laura pedem non extulerant, aliqui, ex quo Monasterium ingressi fuerant, Civitatem non viderant, itaque imminente licet vitæ periculo Laura exire noluerunt. Barbari Ecclesia spoliata sanctos Senes corripunt, & per dies aliquot crudelissime torquent, ut occultas divitias prodere cogerent; tandem vero elusæ spei succedente furore omnes fœde mutilatos occiderunt. Sancti Viri ferrum recipiebant hilari vultu & gratias agentes, qui utique jam diu ex hac vita exire, & JEsu Christo conjungi cupiebant.

Cæsorum corpora multis diebus jacuerunt insepulta, donec ceteri hujus Lauræ Monachi ex Arabia, quo confugerant, redeuntes ea curare cœperunt.

Illorum

Illorum unum, cui nomen Nicomedes, Sæculum VII
A. C. 614.
 membra paulo ante dilectissimorum Patrum dispersa conspicientem tantus horror invalit, ut linquente animo semimortuum inde auferre necesse fuerit. Modestus Monasterii S. Theodosii Abbas collecta omnia istorum Sanctorum Corpora inter plurimas lacrymas lavit, osculatus est, & in Sepulchra Patrum suorum, preces consuetas recitans, intulit. Ecclesia horum quadraginta quatuor Sanctorum Festum 16. Maji celebrat. Tum Mart. Rom.
16 Maji.
Boll. tom. 14.
p. 616.
 Modestus Abbas omnes Monachos Lauræ S. Sabæ gravi oratione hortatus est, ne ex ea fugerent, sed persecutiones forti animo sustinerent. Ipsius monita secuti in Laura ferme duobus mensibus permanserunt; at increbrescente fama, Barbaros alteram incursionem moliri, in Monasterium Anastasii Abbatis, viginti stadiis seu Leuca una ab Urbe Jerosolyma distitum, tunc temporis habitatoribus vacuum, se receperunt, & ibidem annis ferme duobus commorati sunt. Modestus Abbas Ecclesiam Jerosolymitanam Zacharia Patriarcha absente rexit, & non solum Civitatis, in qua Ecclesias igne consumptas postmodum reparavit, sed etiam Diocesis & omnium in Deserto Monasteriorum curam suscepit.

Sæculum VII
A. C 614.

§. XI.

S. Joannis Eleemosynarii Charitas.

Modestus Abbas plurimum auxilii accepit a S. Joanne Eleemosynario Patriarcha Alexandrino, cujus singularis Charitas in illis calamitatibus orbi innotuit. Tota Syria a Persis devastata, quicumque hostium manus effugere potuerunt, Clerici, Laici, Magistratus, privati, & etiam Episcopi, Alexandriam confugerunt. Joannes omnes suscepit, & quotidie, quæ erant necessaria, non obstante eorum multitudine, liberali animo suppeditavit. Ubi captæ Jerosolymæ fama ad eum pervenit, virum pium nomine Cresippum cum multa pecunia, frumento, aliisque alimentis, & indumentis, illo misit, partim ut sciret, quanta esset illius Civitatis ruina, partim ut illos, qui supererant, juvaret. Rursus Theodorum Episcopum Amathuntinum, Anastasium Abbatem in Monte S. Antonii, & Gregorium Episcopum Rinocoranum cum magna pecuniæ vi misit, ut eos, qui captivi abducti fuerant, redimerent. S. Patriarcha cunctos tanquam Fratres recipiens neminem ad se venientem repellebat. Ægrotos, vel vulneratos in Nosocomia immisit, ubi gratis curabantur, & inde non ante, quam ipsi vellent, dimittebantur. Hos ipse bis terve

vit. S. Joan. per Leont. c. 2. n. 10. ap. Boll. tom. 2. p. 500. item vita per Metaphr. c. 1. n. 6. ibid. p. 518.

terve in septimana invisebat. Illis vero, Sæculum VII
A C. 614.
qui corporis sanitate gaudebant, venie-
bantque eleemosynam recepturi, singu-
lis viris unam siliquam, quæ nostræ pe-
cuniæ comparata octo ferme solidis † v. Cang. gloss.
† non aureis.
valebat, & mulieribus, quia debiliores
sunt, duas largiebatur. Cum non nul-
læ mulieres armillas aureas aliosque or-
natus habentes nihilominus stipem roga-
rent, hac de re, qui distribuendis stipen-
diis præfecti erant, apud Patriarcham
conquesti sunt, quibus ille voce & oculis
ad severitatem præter morem composi-
tis respondit: *Si æconomi mei, vel potius
Jesu Christi esse vultis, præcepto ejus:
Omni autem petenti te tribue, simplici-
ter obedite. Nec Christus, nec ego mini-
stris curiose scrutantibus indigemus. Si
mea (*) essent, quæ erogo, forte causa sup-
peteret parcius dandi, nunc vero cum res
Dei sint, vult, ut in distributione Bono-
rum suorum ejus Mandatum servemus.
Modicæ Fidei vestræ particeps esse nolo,
etiamsi enim universus orbis ad petendam
eleemosynam Alexandria congregaretur,
immensos Dei Thesuros non exhauriret.*
Quia Nilus, ut alias solebat, non ex-
undaverat, sterilis annus fuit. C. 4. n. 22.
Cum i-
gitur

(*) Hæc non favent Sententiæ affirmanti,
Clericos Bonorum superfluum Dominos esse.

Hist. Eccles. Tom. VIII.

T t

Sæculum VII
A.C. 614.

igitur in tanta annonæ caritate, Perfas fugientium multitudo facultates Ecclesiæ consumsisset, S. Patriarcha a quibusdam piis Christianis ferme mille auri libras mutuas accepit. His quoque erogatis, quia necdum alimentorum penuria cessabat, nemo jam amplius erat, qui S. Patriarchæ pecunias mutuas dare auderet, cum quisque de se inciperet esse sollicitus. Hinc Charitate Sanctum Virum urgente, quod pauperes a se passim solitos fame premi videret, ferventius ad Deum orabat. Tunc Civitatis Alexandrinæ incola, qui Diaconus ordinari exoptabat, quamvis esset Bigamus, opportuna occasione usus, oblato Libello supplici (nam istud verbis & in facie Episcopi petere pudebat) ducentos modios frumenti, & centum octoginta Libras auri in subsidium pauperum daturum se pollicebatur, si se Patriarcha Diaconum ordinaret; argumentum insuper afferebat ex S. Pauli verbis: *Necessitatem non habere Legem.* (*) S. Patriarcha homini ad se privatim accersito dixit: *Magna offers, & opportune, sed deest pura Intentio. Deus vero, qui pauperes, Fratres meos, priusquam ego, tuque,*

S. Joannes
Eleemosy-
narius.

(*) S. Pauli verba ad Hebræos huc nullatenus quadrant: *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & Legis translatio fiat.*

Sæculum VII sionis, quæ Ecclesiarum Mater dicebatur,
 A.C. 614. a fundamentis denuo erexit.

§. XII.

S. Joannis Eleemosynarii Regimen.

vita.c.1. n.5 Sanctus Joannes Eleemosynarius Regimen Ecclesiæ Alexandrinæ auspiciatus, convocatis omnibus Ecclesiæ Oeconomis ait: *Circuite Civitatem & Dominos meos omnes usque ad ultimum conscribite.* Admirabundi omnes quærebant, quinam essent hi Domini. Respondit: *Sunt illi, quos vos appellatis pauperes.* Numerabantur autem Alexandria inopes septies mille quingenti, quibus Patriarcha singulis diebus stipem erogabat. Inter primas curas etiam habuit prohibere, ne ementes fallaci pondere aut mensura deciperentur, atque Mandatum ipsius nomine promulgatum fuit, ut res opesque illorum, qui commissæ fraudis convincerentur, Fisco adjudicarentur, inter pauperes deinde distribuendæ. Inde cognoscimus, quanta Patriarchæ Alexandrini etiam in rebus temporalibus fuerit Auctoritas. Cum comperisset, ex Ministris suis aliquos dona accipere, ut in redimendis captivis hos vel illos aliis præferrent, omnes convocavit, & omiſsa objurgatione salarium eorum auxit, severe prohibens, ne ab ullo homine impoſterum quidquam acciperent. Aliqui

n. 6.

n. 7. s. 2.

Aliqui ex his Ministris, tam liberali Præ- Sæculum VII
 fulis sui indole capti, augmentum stipen- A. C. 614.
 dii acceptare erubuerunt.

Sciebat quoque quosdam timore im-
 pediri, ne suas querelas ad ipsum defer-
 rent, quod nunquam non Cancellarii seu
 Notarii, Ecclesiæ Defensores, alii qui Mi-
 nistri circumstarent. Id Virum Sanctum
 permovit, ut bis per septimanam Diebus
 Mercurii & Veneris omnibus, qui habe-
 rent, quod quererentur, publice aures
 dare statueret. Ante portam Ecclesiæ
 Sedes ei ponebatur, & sedilia duo, pro
 viris doctis & piis, quibus colloquebatur,
 Evangelium manibus tenens; nulli vero
 Ministrorum nisi uni Defensori adesse li-
 cebat, ut homines privati majore fiducia
 accederent. At quæ decernebat, De-
 fensores suos, & quidem priusquam ci-
 bum caperent, exequi jubebat; *Si enim,*
ajebat, Deus nobis libertatem indulget
omni hora Domum ejus intrandi, & ora-
tiones nostras offerendi, & si nos cito ex-
audiri cupimus, decet profecto ut quod
nobis fieri volumus, aliis faciamus. Qua-
 dam Die Patriarcha e Civitate egredien-
 te, ut ad Ecclesiam Martyrum iret, mu-
 lier coram eo prostrata justitiam contra
 generum suum flagitabat. Qui S. Epis-
 copum comitabantur, suadebant, ut rem
 differret, donec rediisset; sed ipse re-
 spondit: *Quomodo sperare possum, Deum*
 T t 3 *preces*

n. 8.

S. Joannes
 Alexandri-
 nus.
 c. 10. n. 57.

Sæculum VII *preces meas exauditurum, si banc mulie-*
A. C. 614. *rem audire differam? quis promisit, me*
cras victurum? Tumque ibi stans senten-
 tiam pronunciavit. Alia die, cum usque
 ad horam quintam, id est, undecimam
 antemeridianam expectasset, & nemo e-
 jus Tribunal adiisset, obortis lacrymis re-
 cedentem, S. Sophronius submissa voce
 interrogavit, quæ causa flendi esset. *Hæc*
nempe, respondit ille, quia hodie habeo ni-
hil, quod Jesu Christo pro peccatis meis
offeram. Imo, reposuit Sophronius,
gaudendi causam habes, quod gregi tuo pa-
cem & concordiam tam feliciter procu-
raveris, ut Angelorum instar sine jurgiis
conversentur.

S. Joannes sacram Scripturam non ad
 ostentationem, sed ad formandos mores,
 assidue meditabatur. Ipso præsentem nun-
 quam inutilia proferre licebat; sed ser-
 mo erat vel de rebus necessariis agendis,
 vel facta Sanctorum narrabantur, vel ex-
 plicabatur aliquis S. Scripturæ locus, vel
 dogma ad refellendos plurimos Hæreti-
 cos, quibus illa Regio inficiebatur. Dum
 quis famæ alterius detrahebat, S. Patriar-
 cha solerter sermonem ad alia converte-
 bat, si tamen obtrectari non cessabat,
 tunc quidem tacebat, sed illi, cui portæ
 custodia illa septimana erat demandata,
 præcipiebat, ut hominem istum, si alia
 vice rediret, a Domo arceret. Nulla
 re

c. 8. n. 43. 44.
 &c.

re magis oblectabatur, quam exempla Sæculum VII
Charitatis pauperibus exhibitæ auscul- A. C. 614.
tando.

Tandem Joanne Moscho & Sophronio c. 10. n. 60.

notissimæ Probitatis Monachis familia-
rissime utebatur. Hos tanquam Patres
suos reverebatur, in cunctis obediebat,
& cum essent doctissimi, eorum operam
ad oppugnandos Severianos aliosque Hæ-
reticos non sine fructu adhibebat; quip-
pe eorum labore effectum, ut plurima
Oppida, Ecclesiæ, & Monasteria ab Hæ-
resi liberarentur. S. Patriarcha populos S. Joannes
suos sollicitè hortari solebat, ne unquam Patriarcha.
cum Hæreticis communicarent, etiam c. 13. n. 83.

ideo tota sua vita Communione Catho-
lica privari necesse esset; nempe liber-
tate Religionis opera exercendi in illis
locis, ubi Hæretici dominabantur. *Hac*
in re, inquit, homo Orthodoxus com-
parandus est Marito, cui, quamvis lon-
gissimo tempore ab uxore absit, non tamen
aliam accipere licet.

n. 79.

Quadam die videns multos lecto Evan-
gelio de Ecclesia exire, etiam ipse exiit,
& in medio ipsorum consedit. Miran-
tibus omnibus, dixit: *Filii mei! ubi*
oves sunt, ibi etiam Pastorem esse conve-
nit. Vestri causa ad Ecclesiam descendo,
nam pro me in Domo Episcopali Missam

T t 4

cele-

Sæculum VII celebrare possem. ()* Cum bis hac in
A. C. 614. dustria usus esset, hos quorumdam Ale-

n. 80.

xandrinorum mores emendavit. Quando in Ecclesia garrientes conspiciebat, publice arguebat, & ejiciebat dicens: *Si ad orandum venistis, orate, si ad aliud faciendum, scitote, quod scriptum sit:*

Matt. 21. 13. Domus mea, Domus Orationis vocabitur.

c. 9. n. 50. De Oratorio domestico S. Patriarchæ bis

c. 12. n. 73. præterea mentio fit; imo apparet, quod

in eo non nunquam cum unico Ministro in præsentia unius Laici celebraverit. Credibile est, omnes Episcopos jam illa ætate ejusmodi Oratoria habuisse, atque hujus rei exemplum Sæculo IV. in Vita S. Gregorii Nazianzeni Patris vidimus.

Sup. l. XVI. S. Joannes Eleemosynarius ad Ordinem

n. 16. c. 13. Presbyteratus promovit quemdam Lectorem, qui calceos faciebat, suo labore

n. 87.

liberos, quos magno numero habebat, Uxorem, Patrem & Matrem alebat, & nihilominus suo tempore in Ecclesia sedulo ministrabat. Inde dispicimus Alexandria Clericos, uxores habentes, & Artifices extitisse.

Vir Sanctus Monachos singulari honore prosequatur, nec illi placebant, qui

(*) Da sieht man wiederum ein Zeugniß, daß man im Alterthum stille Messen gelesen habe, und wird unser protestantische Uebersetzer auf ein neues beschämnet mit seinem elenden Geschwätz: Man hat nichts gewußt von einer solchen Messe.

qui mala de quibusdam Cœnobitis referant, cum jam semel a calumniatore fuisset deceptus. Hospitium solis Monachis peregrinis suscipiendis destinatum extruxit. Monasteria quoque duo prope duo Oratoria, quæ in honorem S. Virginis & S. Joannis ædificaverat, fundavit, iisque agros paternæ suæ Hæreditatis adscripsit. Ad hos Monachos dicebat: *Ego corporum necessitatibus providebo, vos pro mea Salute orate. Preces vespertinas & nocturnas pro me, illas vero, quas de die in Cellulis vestris peragitis, pro vobismet ipsis Deo offerite.* Ita scilicet supplere volebat, quod ipse neglexerat, cum vitam Monasticam nunquam duxisset. Monasteriorum istorum exemplo excitati Sæculares noctu orare cœperunt in diversis locis Civitatis, quæ magnum Monasterium referebat. Id ego de Civitate Amathunte in Insula Cyro, in qua natus erat, accipio. Item Peregrinis, Senibus, ægrotantibus Hospitia extruxerat. Quanta Ecclesiæ Alexandrinæ opulentia fuerit, æstimari potest ex jactura, quam unica die passa est, dum tredecim naves, singulas decem modiorum millibus oneratas amisit, & ex eo, quod S. Patriarcha, cum ordinaretur, octies mille auri libras in ærario Episcopali invenerit. Unde facilius adhibere fidem possumus Scriptoribus

Sæculum VII
A. C. 614.c. 8. n. 47.
c. 13. n. 82.Monachos
diligit.c. 14. n. 91.
c. 9. n. 52.
n. 83. n. 55.

c. 14. n. 90.

Sæculum VII narrantibus, eum immensas eleemofy-
 A. C. 614. nas largitum fuisse, & contra commu-
 nis prudentiæ regulas gavisum fuisse, si
 n. 13. 63. 71. pecunias perderet, ut animi ab avaritiâ
 alieni argumentum & patientiæ exem-
 plum daret.

c. 6. n. 34.

Interim S. Patriarcha in mediis divi-
 tiis pauperem vitam degebat, cubabat
 in vulgari lectulo & stragulis laneis lace-
 ratis cooperiebatur. Vir dives ei ali-
 quando aliud operimentum & pretiosum
 dono dedit, quod amore ipsius Patriar-
 cha acceptavit; at illam deinde noctem
 insomnem duxit, quia memoria paupe-
 rum, quos nuditas & frigus affligeret,
 dormire Sanctum Virum non sinebat.
 Altera die illud operimentum venunda-
 ri iussit, emitque ille ipse, qui donave-
 rat, atque alteram jam vice Episcopo
 donavit. Vir Sanctus illud iterum ven-
 didit, & tertia vice ad Benefactorem
 hunc dixit: *Videbimus, quem nostrum*

n. 23.

subeat. Sepulchrum suum semper præ-
 parari jubebat, sed nunquam perfici, eo
 consilio, ut in Festis Solemnibus semper
 moneri posset, illud ob temporis, quo
 moriendum ipsi esset, incertitudinem
 perficiendum esse. Morbo contagioso
 Alexandria grassante, sæpe aderat, cum
 funera curarentur, dicens, hunc aspe-
 ctum & rerum illarum, quæ nos sepul-
 chri

c. 8. 48-

chri admonerent, esse hominibus perquam salutarem. Sæpe expirantibus adstabat, & suis manibus mortuorum oculos claudebat. Presbyteros exhortabatur ut pro defunctis Collectas, id est, Missas celebrarent, atque factum aliquod narrabat prodigiosum, ut ostenderet, mortuos exinde adjuvari. (*)

§. XIII.

Joannis Moschi Itinera.

Joannes cognomento Moschus, cujus opera Joannes Eleemosynarius ad oppugnandos Hæreticos felici eventu usus fuit, primum vitam Monasticam in Congregatione S. Theodosii in Palæstina professus fuerat. Ab Abbate suo in Ægyptum sub auspiciis Regni Tiberii Imperatoris, id est, anno circiter 578. negotiorum domesticorum causa missus, usque in Desertum Oasinum penetravit, Monachum visurus ex Cappadocia advenam, nomine Leontium, de quo multa virtutis maximæ argumenta audiverat, & qui postea animam suam dedit,

ut

(*) Ex his liquet, S. Patriarcham credidisse, Defunctorum animas, utique non illas, quæ in Cælo vel in Inferno existebant, precibus vivorum posse adjuvari, & quam absurdus sit Protestans noster in suis Annotationibus exclamans: Die lieben Alten haben nichts gewünscht von einem Fegfeuer.

Sæculum VII
A. C. 614.

n. 49.

Prol. in prat.
Spir.

Prat. c. III.

Sæculum VII ut tres alios Monachos a Barbaris captos
 A. C. 614. liberaret. Joannes Moschus in Palæsti-
 nam reversus, annis decem in Laura Elio-
 tarum mansit, tum etiam in Eremo ad
 oram Jordanis, & in nova Laura S. Sa-
 bæ. At fama advenientium Persarum
 territus, in Regione Antiochena refu-
 gium quæsit. Inde Seleuciam, quam
 Orontes alluit, delatus, Theodoro Ab-
 bati, illius Civitatis Episcopo collocatus
 est. Monasterium quoque S. Theodossi
 de Rupe inter Seleuciam & Rosam Cili-
 ciæ positum invisit. Tum in Palæstinam
 rediens nulla mora interjecta ad Montem
Sinai, & inde Raitham perrexit. In
 Ægyptum deinde redux Alexandriæ per-
 mansit.

Sophronius itinerum ejus socius, Da-
 masci natus, tantam in Litteris huma-
 nis Scientiam sibi comparaverat, ut pas-
 sim Sophista diceretur, eratque Joanni
 Moscho amicitia conjunctissimus, prius-
 quam Sæculo renunciassent. Postquam
 ambo apud Gregorium Abbatem S. Theo-
 dossii commorati fuissent, Alexandriam
 venerunt. Quamvis Barbarorum incur-
 sio Monachos Scetienses in diversa spar-
 sisset, Joannes & Sophronius tamen non
 nullos hinc & inde invenerunt, qui ipsis
 singularia virtutum opera inter illos Mo-
 nachos exerceri solita enarrarunt. Theo-
 dorus Abbas eis referebat, aliquos ex
 illis

c. 67. 134.
Prolog.
 c. 79.

c. 80.

c. 119. 122.

c. 9. 33.
Bol. II. Mart.
 p. 65.

Monacho-
 rum Vita.

Prat. c. 69.
 77. 110.
 c. 152.
 c. 54.

illis nunquam cibum capere, nisi quando alius eos inviseret, idcirco, adiciebat, *singulis diebus Sabbati quemdam Senem nomine Ammonium vicinum meum visebam, ut illa saltem die comederet. Joannes Abbas de Rupe ad eos dixit: cum annis juvenilibus in Scetiensi Eremito commorarer, & quidam Patrum esset lienosus, in remedium hujus mali parum aceti in omnibus quatuor Lauris, in quibus ferme ter mille quingenti Monachi habitabant, quaesivimus, & invenire non potuimus. Tanta erat eorum paupertas.*

Joannes & Sophronius in Thebaidem quoque profecti, prope Urbem Lycos dictam viderunt montem, ubi multi Monachi partim in antris, partim in Cellulis degebant. Antinoi conversionem prodigiosam Principis latronum, cui nomen David, audierunt. Alexandriae Palladium Abbatem Thessalonicensem; item Theodorum Philosophum, Zoilum Lectorem, & Cosmum Sophistam, id est, virum doctum, vitam admodum pauperem ducentes, & in omni virtutum Christianarum genere exercitatos viderunt. Prope Alexandriam Joannem Abbatem Evnuchum, vitam Monasticam jam annis octoginta profitentem & quosdam alios Anachoretas vitae Sanctitate celebres adierunt. Itaque idem Monasticae vitae fervor, quem ante annos du-

Saeculum VII
A. C. 614.

c. 113.

c. 44. 161.

c. 143.

c. 69. 70.
c. 171. 172.

c. 145. 184.

Sup. L. XX.
n. 3. 4. &c.

cen-

Sæculum VII centos Cassianus observaverat, in Ægypto conservabatur.

A. C. 614.

§. XIV.

Concilium Parisiense.

To. 5. Conc.
p. 1649.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

Anno eodem, quo Jerosolyma capta, nimirum 614. Parisiis Synodus omnium Provinciarum Galliae nuper sub Rege Clotario unitarum celebrata est. Episcopi Regis mandato congregati quindecim Canones condiderunt, quorum primus præcipit, ut in locum Episcopi defuncti ille ordinetur, quem Metropolita cum suis Suffraganeis, Clerici, & illius Civitatis Populus gratis elegerint. Si vel alicujus potentia vel negligentia aliter factum fuerit, nulla sit Electio. Hic Canon illuc præcipue collineat, ut potestas Regum, quam in Electione Episcoporum usurpabant, coerceretur. Nullus Episcopus Successorem sibi eligat. Nemo in Sedem viventis collocari affectet, nisi casu existente, quo Ecclesiae suae amplius præesse non posset, ut si in morbum insanabilem inciderit, aut ob admissum crimen depositus fuerit. Nullus Clericorum ad Principem vel alium Virum potentem contempto Episcopo confugiat. Nullus Judex Clericum sine consensu sui Episcopi puniat, vel condemnet.

Mortuo Episcopo, Presbytero, aut alio Clerico nemo neque ex Principis

Mag-

Mandato, neque Judicis Auctoritate Bo-
na Ecclesiæ aut ipsorum propria occupet,
sed ab Archidiacono & Clericis custo-
diantur, donec cognitum fuerit, quid
de illis defunctus decreverit. Aliunde
prohibitum est, ne Episcopus aut Archi-
diaconus post obitum Abbatis, Presby-
teri, vel alterius Clerici Titularis, ea,
quæ Ecclesiæ suæ legarunt, sub prætex-
tu Bona Diœcesis aut Episcopi augendi
invadat. Omnes Donationes ab Episco-
pis & Clericis factæ Ecclesiis valeant,
etiamsi omnes formulæ in Jure præscri-
ptæ non fuissent observatæ. Episcopi al-
ter alterius Bona non usurpent, multo
minus Sæculares Clericorum Bona sub
prætextu Defensionis, aut quod Regna
divisa sint, usurpent. Cum Francia jam
ex integro Sæculo in plura Regna fuisset
divisa, & nunc fortuna in unius Clota-
rii potestatem omnia contulisset, Concilii
Patres præteriti temporis abusus tollere,
& Bonorum Ecclesiasticorum conserva-
tioni prospicere voluerunt. Cavetur,
ne Judæis quocunque demum munere
publico inter Christianos fungi liceat, &
si tamen fecerint, Baptismi Gratiam ab
Episcopis illorum locorum, ubi fuerint,
cum tota sua familia accipient. Istud De-
cretum vel simplex comminatio est, vel
ita est accipiendum, quod Judæus Mu-
nus publicum in se suscipiens pro con-
verso

Sæculum VII
A.C. 614.

c. 7.

c. 8.

V. Coint. c. 11.
614. n. 28.

c. 15.

Sæculum VII verso habendus sit. Sisebutus Visigothorum Rex in Hispania anno sequente
 A. C. 614. 615. Regni sui quarto, Judæos omnes, illis exceptis, qui ad Francos transfugerunt, ad Fidem converti compulit. Concilio huic Parisiensi Episcopi septuaginta novem subscripserunt; unde dispicimus, inter illa, quæ hæctenus in Galliis celebrata legimus, fuisse frequentissimum.

V. Coimt. an.
 591. n. 13.
Sup. Lib.
 XXXV. n. 21.
App. ad Martii Chro.

Rex Clotarius edito Rescripto hos Canones observari jussit, additis tamen quibusdam conditionibus. Ad Canonem primum adjicit, Episcopum ab Episcopis Clericis & populo electum ex Mandato Principis esse ordinandum, & si ex Palatio fuerit assumptus, ob sola merita esse ordinandum. In hoc Rescripto plures Canones fusius explicantur; aliqua etiam statuuntur, quæ in ipsis Decretis Concilii non legimus, unde conijcere est, quod omnia non habeamus. Verum quidem est, quod statuta addita vix alia, quam negotia Sæcularia respiciant. In fine dicitur, hoc Rescriptum ex consilio Episcoporum, Optimatum, aliorumque virorum Regi fidorum in Synodo fuisse editum. Ceterum Parisiis 15. Cal. Nov. anno Regni ejus 31. id est, 18. Octob. anno 614. datum est. Hi Canones & adjectum Rescriptum in aliquo Concilio paulo post celebrato, cujus tempus & locus exacte non sciuntur, confirmata.

Tom. 5. Conc.
 p. 1655.

§. XV.

§. XV.

Sæculum VII

A. C. 614.

Viri Sancti in Aula Clotarii.

Rex Clotarius illa ætate non nullos Viros Sanctitate conspicuos in Aula sua habebat, quales erant S. Arnulphus, S. Romaricus, S. Desiderius, S. Faro, & S. Goericus. S. Arnulphus ex Gente Francorum nobilissimis & opulentissimis Parentibus natus, puer litteris humanis apprime imbutus, ad Theodeberti Aulam missus, & Giundulfi Palatio Præfecti regimini traditus est, ubi in arte res bene gerendi ita profecit, ut brevi secundum a Rege gradum obtineret, & administrandis sex Dynastiis, quibus viri sex Domestici dicti antea præficiabantur, solus sufficeret. Rei bellicæ quoque peritus erat, & hæc non oberant, quin nihilominus sæpe orationi vacaret, jejunaret, & pauperibus opitularetur. Conjugem sibi elegit Virginem nobili prosapia ortam, Dodam nomine, ex qua duos filios Clodulfum & Ansegisum suscepit. Arnulphus familiari consuetudini Romarici viri potentis & eidem Regi Theodeberto addicti adsueverat, & ambo propositum sibi habebant, relinquere omnia, & ad Monasterium Lerinense convolare; sed Deus de his viris aliud decreverat.

Aet. SS.

Ben tom. 2.

p. 150.

Ambo ad Servitium Clotarii Regis

Hist. Eccles. Tom. VIII. Uu trans-

Sæculum VII transierunt; cumque anno primo, quo
 A. C. 614. defuncto Papulo vacasset, populo una
ib. p. 417. V. voce S. Arnulphum in Episcopum sibi po-
S. Rom. n. 4. stulante Episcopatum suscipere, quam-
ib. p. 1044. V. vis laicus esset, compellitur. Id anno
S. Clod. n. 2. 614. factum credunt. Doda Treviros se
 recepit, & Sanctimonialium velamen
 expetiit. S. Arnulphus etiam postquam
 ad Episcopi munus assumtus fuit, Aulam
 Regis Clotarii, nemini Rege excepto se-
 cundus, sequebatur invitus; at multo
 largior quam antea in egenos fuit; unde
 factum, ut pauperes etiam ex remotis Re-
 gionibus ad eum confluerent. Quandoque
 integro triduo nullum omnino cibum ca-
 piebat, nec alia alimenta quam panem
 ex hordeo & aquam sumebat. Sub ve-
 stibus autem semper cilicium gestabat.

Coint. a. 614. S. Goericus cognomento Abdon S. Ar-
n. 39. n. 38. nulpho sanguinis propinquitate junctus
 eidem in Episcopatu Metensi successit.
 Dum in Aula Regis Clotarii versaretur,
 amicitiam impense colebat Sancti Desi-
 derii Ærario Regis præfecti, Albigæ na-
 ti, qui in eadem Aula duos Fratres Ru-
 sticum & Syagrium habebat. Eorum No-
 mina satis produnt, Romanos fuisse. S.
 Desiderius Vir doctus, rebus gerendis
 aptus, laboris amans, nunquam otio-
 sus, cum Monachis & Viris Pietate insi-
 gnibus conversari amabat.

S. Faro

S. Faro filius erat Chagnerici Opti-
 matis, pii illius Viri, qui S. Columba-
 num in Regionem Brianam proficiscen-
 tem susceperat. Is cum primum in Aula
 Theodeberti serviisset, deinde secutus
 est Regem Clotarium, cui a consiliis fuit,
 & omnium afflictorum refugium. Frater
 ejus Chagnoaldus Luxovii Monachus &
 deinde Episcopus Laodunensis fuit. So-
 ror eorum S. Fara ab infantia manibus S.
 Columbani Deo consecrata Monasterium
 fundavit, dictum tunc Eboriacum, cujus
 prima Abbatissa extitit, & hodie adhuc
 florens Faramonasterium appellatur.
 Hanc Sanctam Foeminam Veteres Bur-
 gundofoam, seu nobilem ex Burgundia,
 appellabant.

Sæculum VII
 A. C. 614.

Act. SS. t. 2.
 p. 612.
 Sup. n. 7.

Act. SS. t. 2.
 p. 438.
 Sup. II.

§. XVI.

S. Lupus Senonensis.

Sanctus Lupus Archiepiscopus Senonen-
 sis Sigerici junioris Partes, mortuo
 Theodorico Parente ejus, quamdiu po-
 tuit, defendit; cumque Clotarius Bur-
 gundiæ possessionem capiens misisset co-
 pias, quæ Civitatem Senonensem inva-
 derent, S. Lupus Ecclesiam Cathedra-
 lem S. Stephano dedicatam ingressus cam-
 panam pulsavit, ut concurreret populus,
 quo facto milites tantus terror turbavit,
 ut nihil nisi fugam cogitarent. Burgun-
 dia tamen in potestatem suam redacta.

V. ap. Sar. t.
 Sept. Coint.
 an. 613, n. 4.

U u 2

Clota-

Sæculum VII Clotarius Farulfum misit, ut suo nomine
 A. C. 616. Provinciam regeret. Cum ille Senoni-
 bus appropinquaret, indignabatur, quod
 Archiepiscopum sibi obvium cum donis
 non haberet, & ingressus S. Virum tor-
 vis oculis intuebatur; at S. Lupus ad
 eum dixit: *Episcopi est, Fideles populos
 regere, & Principes hujus Sæculi Præ-
 cepta Dei docere, hinc magis decet, ut illi
 ad Episcopos accedant.* His verbis Farul-
 fus multo magis irritatus, multa apud
 Regem de Viro Sancto mentitus est, ca-
 lumniantem adjuvante Medegisilo Mona-
 sterii S. Remigii in Suburbanis Senonum
 Abbate, qui, si S. Lupus pelleretur, Ar-
 chiepiscopatum sperabat.

Rex Clotarius his fraudibus deceptus
 S. Lupum Aufenam, Pagum agri Vime-
 fini ad Brelam amnem, in exilium misit,
 quo a Duce Pagano, cui nomen Lande-
 gisilus, deductus est. S. Episcopus illuc
 perveniens, profana Tempora invenit, in
 quibus illius Regionis Incolæ falsis Diis
 serviebant, creditque, se ideo a Deo
 missum, ut hunc populum converteret,
 quod S. Viro non modicum exilii sola-
 tium fuit. Nec id frustra auguratus est,
 nam cum alicui homini cæco lumen red-
 didisset, hoc facto Landegisilum ad Chri-
 stum convertit, & cum multis de Fran-
 corum exercitu militibus, qui adhuc dum
 infideles erant, baptizavit. Interim Ci-
 ves

ves Senonenses carissimi Pastoris sui fini-
fra sorte in furorem acti Medegisilum A. C. 616.
Abbatem in ipsa Ecclesia S. Remigii in-
terficiunt. Ita calumniarum in S. Lupum
Auctor dignas proditionis pœnas dedit.
Deinde Archidiaconum Ragnegisilum ro-
garunt, ut Vinebaldum ad S. Lupum
Trecis Abbatem vitæ Sanctitate celebra-
rimum adiret, & persuaderet, ut ipse a
Rege Clotario S. Lupi Senonensis redi-
tum postulare. S. Vinebaldus ad Regem,
qui tunc apud Rothomagum morabatur,
delatus, non solum S. Lupo, sed etiam
pluribus aliis, quos Regis Duces Comi-
tesque in vinculis detinebant, liberta-
tem obtinuit. S. Lupum ab exilio redu-
cem S. Vinebaldus in conspectum Regis
adduxit, qui, cum cerneret macilentum,
& ægritudine animi vultum vitian-
te deformem, commiseratione commo-
tus calumniatoribus maledixit, S. Virum
mensæ adhibuit, in terram prostratus
præteritorum veniam rogavit, & Regiis
muneribus cumulatam in suam Ecclesiam
dimisit. S. Vinebaldus eundem usque
Senones comitatus anno circiter 613. *Boll. 6. Apr. tom. 9. p. 572.*
ta Aprilis obiit.

S. Lupus natus erat Aureliani ex Fa-
milia affinitate Regibus juncta, Matrem
vero habebat Austregildam, seu Agiam,
Sororem S. Aunacarii Episcopi Antissio-
dorensis & S. Austreni Episcopi Aurelia-
nensis,

Seculum VII nensis, qui Nepotis Clericis adscripti mo-
A.C. 616. res ita formarunt, ut Dignitatis sublimio-
 ris capax esset. Is anno 609. Artemio
 Archiepiscopo Senonensi successit, & obiit
 in prædio Brinonensi, cujus dominium
 hodieque ad ejus Ecclesiam pertinet; sed
Martyr. R. Corpus ejus, ut jusserat, Senones reve-
1. Sept. ctum & ad pedes S. Columbæ sepultum,
 E vivis excessit anno 623. 1. Sept, quo
 die Ecclesia ipsius Memoriam colit.

§. XVII.

Ecclesia Anglicana.

Interea novella Angliæ Ecclesia pericu-
 losis motibus concutiebatur. Ethel-
 bertus Rex obiit anno 616. ab adventu
 S. Augustini 21., postquam annis 56. re-
 gnasset. Sanctis annumeratus est, atque
Bed. II. hist. Ecclesia ejus Memoriam vigesimo quarto
c. 5. 8^a epist. *Mart. R. 24.* Febr., quo mortalitatem exiit, honorat.
Febr. Boll. *tom. I. p. 472.* Sepultus est in porticu S. Martini in Ec-
 clesia Apostolorum Petri & Pauli Can-
 tuariæ, atque Regia ejus Conjux Bertha
 eidem tumulo illata. Non nullas Leges
 ad utilitatem populi sui condiderat, in
 quibus nihil antiquius habebat, quam
 multas illis imponere, qui res Ecclesiæ,
 Episcopi vel alicujus Clerici furati fuif-
 sent. Edbaldus Filius, & ejusdem in
 Regno Cantii Successor, adhucdum In-
 fidelis & tam dissolutis moribus erat, ut
 Concubinam aleret, quæ Patris uxor fue-
 rat.

rat. Pessimum itaque Regis exemplum Sæculum VII
A. C. 616.
Apostasiæ occasio plurimis fuit, qui vel
metu compulsi, vel, ut Parenti ejus
placerent, Christianam Religionem fue-
rant amplexi, atque ad Idolorum cultum
& effrenam vivendi licentiam redierunt.
Verum Rex in pœnam criminum sæpe
mente alienabatur, & a Dæmone tor-
quebatur.

Saberetho seu Saba Saxonum Orien-
taliū Rege, sub idem tempus ex huma-
nis sublato, tres filii, qui Idolis servie-
bant, Regnum occuparunt, & palam
pristinam Religionem exercuerunt, quam
vivente Patre ad tempus dissimulave-
rant. Subditis quoque Deos adorandi
libertatem dederunt. Nihilominus Mel-
litum Episcopum Londinensem in Eccle-
sia sub finem Missæ Eucharistiam populo
porrigentem conspicientes dicebant:
*Quare nobis non das panem hunc candidum,
quem Sabæ Patri nostro dare consueveras,
& etiamnum populo porrigis?* Respondit
Episcopus: *Si fonte illo ablui vultis, quo
Parens vester ablutus est, etiam, sicut
olim ipse, hujus Sacri Panis participes
esse poteritis, nisi vero lavemini, non
poteritis. Nolumus, inquiebant, in hunc
fontem intrare, non opus est, sed de hoc
Pane comedere volumus.* Quidquid au-
tem diceret Episcopus, & quamvis do-
ceret, necessarium esse omnes Sacro fon-

Sæculum VII
A. C. 616.

te lavari, priusquam in Sancto Sacrificio communicarent, ipsi furentes tandem responderunt: *Nisi rem facillimam nostri gratia feceris, non liceat tibi in Regno nostro morari.* Tum jusserunt, ut cum suis ex eorum Ditione alio migraret. Hic notandum, quod arcanum in celebrandis Mysteriis non amplius fuerit servatum, at simul etiam, quanto periculo hæc Disciplinæ Ecclesiasticæ pars neglecta fuerit. Mellitus Episcopus inde expulsus in Regnum Cantiorum se contulit cum Episcopis Laurentio & Justo deliberaturus, quid factu opus esset. Statueruntque unanimi consensu, præstare in patriam redire, & ibi libere Deo servire, quam inter rebelles Fidei Barbaros operam perdere. Mellitus & Justus priores discesserunt, trajeceruntque in Galliam, rerum eventum expectaturi. Tribus illis Regibus haud multo post in pugna adversus Nationem Genissorum occisis, populi nihilominus in Idololatria perseverarunt.

Bed. II. c. 6. Laurentius relicta Britannia Mellitum & Justum insecuturus, pridie quam discederet, stratum sibi Cantuariæ in Ecclesia Apostolorum parari jussit; ubi postquam diu pro Ecclesia, quam relinquebat, inter lacrymas ad Deum orasset, lectulo incumbens obdormivit. Tunc vero adest S. Petrus, qui eum ad multam

tam noctem flagellis acerbissime cædens Sæculum VI. A. C. 616.
 voce terribili interrogabat: *Cur gregem, quem tibi credidi, deseris? cui Pastori
 bas oves in medio luporum positas relin-
 quis? an mei oblitus es exempli, qui pro
 parvulis mihi a Jesu Christo commissis
 vincula, verbera, carceres, mortem denique
 ipsam, & mortem Crucis pertuli?* Hisce
 exhortationibus animatus Laurentius S. Laurentius
 Cæsus.
 mane Regem adit, rejectoque vestimen-
 to plagarum ei stigmata ostendit. Ob-
 stupefcenti & interroganti, quis Episco-
 pum cædere ausus fuisset, respondit Lau-
 rentius: *A S. Petro propter Salutem tuam
 in hunc modum cæsus sum.* His auditis
 perterritus Rex Idololatriam & conju-
 gium incestum abjuravit, Jesu Christi
 Fidem & Baptismum accepit, atque ve-
 ram Religionem exinde omnibus viribus
 propagavit. In Galliam quoque misit,
 qui Mellitum & Justum revocarent, & ad
 suas Ecclesias dimissos veram Religionem
 liberrime prædicare jussit. Redierunt
 igitur uno, postquam in Galliam navi-
 gaverant, anno. Justus ad Urbem Ros-
 fensem, pristinam Sedem suam, rever-
 sus est; sed Londinenses Mellitum reci-
 pere detrectantes Idolorum Pontificibus
 parere maluerunt; nec Edbaldi Regis
 tanta, quanta olim Parentis ejus, erat
 Auctoritas, ut nolentes ad recipiendum
 Episcopum compellere posset; ipse vero

U u s

a tem-

Sæculum VII a tempore conversionis suæ semper cum
A. C. 617. populo suo Deo serviit, & in Monaste-
 rio S. Petri Cantuariæ Ecclesiam Sanctæ
 Virginis extruxit, quam Mellitus Archie-
 piscopus consecravit; nam Laurentius
 haud diu, postquam fuisset restitutus,
 Regnum Cœleste conscendit, atque pe-
 nes S. Augustinum Antecessorem suum
 in Ecclesia S. Petri secundo die Februa-
 rii anno 619. sepultus est. Mellitus prius
 Episcopus Londinensis ei in Sede Dorver-
 niensi seu Cantuariensi, cujus tertius
 Episcopus fuit, successit. Justus interea
 Ecclesiam Roffensem gubernans accepit
 Epistolas Bonifacii V. Papæ, qui Deus-
 dedit successerat, quibus eum & Lau-
 rentium exhortabatur, ne se ullis diffi-
 cultatibus a cœptis pro Salute Anglorum
 laboribus absterreri paterentur. Nam
 epistolæ istæ anno 618. Laurentio adhuc
 in vivis agente scriptæ sunt.

Acta SS.
Ben. tom. 2.
p. 62. n. 9.

Deusdedit Papa fatis functus, post-
 quam S. Sedem annis tribus tenuisset, ad
 S. Petrum octavo Nonas Nov. 617. se-
 pultus est. Tribus Ordinationibus Pres-
 byteros novem, Diaconos quinque, &
 præterea ad diversas Ecclesias Episcopos
 viginti novem consecravit. Successor
 illius fuit Bonifacius V. Neapoli natus,
 qui 29. Dec. eodem anno 617. ordinatus
 annis septem sedit.

Anast.

§. XVIII.

§. XVIII.

Sæculum VII
A. C. 617.*S. Joannis Eleemosynarii obitus.*

Sub illud ferme tempus Joannes Moschus & Sophronius, cum ob metum Persarum Alexandria fugissent, Romam venerunt. Ipse S. Joannes Eleemosynarius videns Civitatem Persis proxime tradendam, exiit, in Cyprum Patriam suam se recepturus. Nicetas Patricius ejus amicus occasionem nactus S. Virum rogavit, ut usque Constantinopolim iret Imperatoribus, id est, Heraclio & Filio ejus benedicturus. Consensit S. Patriarcha, sed cum Rhodum pervenisset, Eunuchus (*) ei spectabilis factus est, insolito lumine coruscans, & Sceptrum aureum manu tenens, qui dixit ad eum: *Veni, Rex Regum vocat te.* Tum ipse ad Nicetam Patricium: *Tu me invitas, ut ad Imperatorem terræ eam, sed Imperator Cæli antevertit consilium tuum.* Mox ei Visum narravit, ipsoque relicto in Cyprum navigavit, & Amathuntem, ubi lucem primo aspexerat, pervenit. Ibi Testamentum suum dictavit in hæc verba: *Mi Deus! Gratias tibi ago, quod orationem meam exaudiveris, & nihil possideam, quam Solidi partem tertiam, licet tempore Ordinationis meæ Alexandria*

*Prol. pr.
Spir.**Leont. c. 14.
n. 89. ap.
Boll. tom. 2.
p. 515.*

(*) Nempe illo habitu, quo Ministri, Regi a Cubiculis, esse solebant.

Sæculum VII *dracæ in Domo Episcopali ferme quatuor
A. C. 617. millia librarum auri acceperim, ut Sum-
mas pecuniæ innumeras, quas mihi Jesu
Christi amici dederunt, silentio præteream.
Itaque volo, ut istud modicum, quod mi-
hi superest, Servis tuis tribuatur.*

Mart. Rom. Paulo post defunctus, sepultus est in
16. *Jan.* Oratorio S. Tychonis, ejusdem Civita-
tis Amathuntinæ tempore Theodosii ju-
nioris Episcopi, cujus Memoriam Eccle-
sia 16. Junii colit. Depositum est S. Joan-
nis Eleemosynarii Corpus in medio Cor-
porum duorum aliorum Episcoporum,
quæ, ut locum darent, utrinque se spon-
te inspectantibus omnibus removerunt,

Proem. atque ejus Sepulchrum multis prodigiis
claruit. Statim vitam ipsius scripsit Leon-
tius Episcopus Neapolitanus, in eadem
Insula Cypro existens, qui eam præci-
pue a Menna Ecclesiæ Alexandrinæ oeco-
nomo didicerat. Ejusdem vitam etiam
Joannes Moschus & Sophronius scripse-
rant, quæ ad nostra tempora non perve-
nit. S. Joannes Eleemosynarius vitam

Boll. p. 495. clausit in Festo S. Mennæ 11. Nov. sed
Martyr. R. Ecclesia ejus Memoriam illa die, qua
23. *Jan.* translatus est, 23. Jan. celebrat. Is Se-
dem Alexandrinam annis decem tenuit,
& Georgium habuit Successorem.
Verum ex illo tempore Historia Ecclesiæ
Alexandrinæ obscurior & nobis minus
nota est.

§. XIX.

*Pratum Spirituale.*Sæculum VII.
A. C. 617.

Joannes Moschus relicta Alexandria in Insulam Cyprum & inde Samum navigavit, tandemque Romam cum Discipulis duodecim, quorum princeps erat Sophronius, attigit. Ibi composuit Librum suum, dictum Pratum Spirituale, quasi floribus stratum, nempe miraculis aut eximiarum virtutum exemplis, quæ in suis itineribus adnotaverat. Hæc inducenta & novendecim Capita dividuntur; sed in ordine magis materiæ, quam temporis ratio habetur. Ubique Auctores nominat, ex quorum ore ipse hæc facta didicerat, & a quibus ipsi accepissent. Stilus est simplex sed tamen acer & virilis. Facta ingenue refert, qualia narrari audivit; nullas addit Adnotationes, sed has faciendas Lectori relinquit. Omnia viam ad Perfectionem Christianam monstrant, omnia Pietatem spirant. Præterea leguntur aliqua, quæ Fidei Veritatem demonstrant, & qualis Ecclesiæ Disciplina fuerit, docent.

Joannes Abbas & Presbyter, postea Episcopus Cæsariensis, S. Spiritum hora Sacrificii in Altare descendentem conspiceri adsueverat. In quodam Pago Ciliciæ Presbyter degebat, cui eadem hæc Gratia concedebatur, nec adduci poterat,

Prot. præsp.
Phot. cod.
199. p. 120.

c. 27.

Sæculum VII rat, ut prius celebrandi initium faceret, A. C. 617. quam S. Spiritum in Altare descendentem vidisset; hinc contra præcepta Canonum non nunquam usque ad horam nonam Missam differebat. In Syria extra Civitatem Apamiensem pueri, quibus gregum custodia commissa erat, coludentes Sacra Mysteria exhibere voluerunt. Grande saxum positum pro Altari fuit, unus ex illis, Verborum ad Oblationem pronuntiari solitorum gnarus Sacerdotem, & duo alii Diaconos agebant. Inde autem pueri has preces didicerant, quia in Ecclesia infantes proximi Altari stabant, primi post Clericos communicabant, & in quibusdam locis Sacerdotes Verba Consecrationis intelligibili voce pronuntiabant. Itaque pueri positis supra lapidem panibus, & vino in vase, omnia juxta consuetudinem Ecclesiæ peregerunt. Ecce vero! antequam panes frangerent, descendens ignis de Cælo non Oblationem modo, sed etiam ipsum lapidem consumsit, & pueris præterrore in terram collapsis altera demum die mens sensusque redierunt. Re ad Episcopum delata Monasterium in loco, quo Portentum visum fuerat, ædificavit, & in eo memoratos adolescentes educari iussit.

c. 29.

Haud procul Ægina in Cilicia duo Stylites unus Catholicus & alter Severianus

nus versabantur. Catholicus alterum Sæculum VII
 rogavit, ut sibi Evcharistiam suæ Com- A.C. 617.
 munionis mitteret, quam misit Severia-
 nus gaudens; putabat enim se Catho-
 licum ad Sectam suam pertraxisse. Catho-
 licus acceptam Evcharistiam in ollam fer-
 ventem immisit, ubi protinus soluta est.
 Tum immisit Particulam Evcharistiæ Ca-
 tholicæ, quæ statim refrigerante aqua
 non solum integra permanit, sed ne qui-
 dem immaduit. Vir quidam nomine Isi-
 dorus, ex eadem Severianorum Secta,
 cum uxorem suam Evcharistiam Catho-
 licorum a muliere vicina accipientem de-
 prehendisset, manus in uxoris fauces in-
 jiciens, pavidam ad evomendam Particu-
 lam adegit, quam projecit in lutum; sed
 eam mox fulgur abstulit. Post biduum
 objectus est ei Æthiops centonibus te-
 ctus, qui ad eum dicebat: *Nos ambo ad
 idem supplicium damnati sumus; ille ego
 sum, qui Jesum Christum in maxilla per-
 cussi.* Isidorus Monachum induit, &
 quoad vixit, peccatum suum deflere non
 cessavit. Ex his historiis saltem proba-
 tur, quænam Joannis Moschi circa Ev-
 charistiam fides fuerit.

Circa Baptismum mentionem facit
 cujusdam S. Monachi in Palæstina, qui
 cum esset Presbyter, eique Baptizandi
 munus esset demandatum, adduci non
 poterat, ut in foeminis unctiones con-
 suetas

c. 20.

c. 3.

Sæculum VII suetas adhiberet. Unde videmus, Græcos jam illa ætate, quod hodieque observant, plures corporis partes unxisse; *Euchol. Acolouth. bapt. fol. 63.* nam ante Baptismum frontem, pectus, scapulas, aures, pedes, manusque baptizandi oleo unguunt, & post Baptismum fronti, oculis, naribus, ori, pectori, manibus, pedibusque Sacrum Chrisma adhibent.

c. 176.

Juvenibus decem in Deserto Palæstinæ iter facientibus, unus eorum Religione Judæus in via defecit, & auguratus, se statim moriturum, socios obtestabatur, ut sibi Baptismum conferrent. Tunc itineris comites dicere: *Laici sumus, & quod præcipue obstat, aquam non habemus.* Ipso nihilominus instantissime Baptismum petente unus eorum, cui nomen Philoponus, jussit ipsum vestibus exui & stantem sustineri; tum ter in caput ejus arenam infudit, formulam Baptismi juxta Græcorum Ritus pronuncians. Judæus protinus corporis sanitati restitutus est. Ubi Ascalonem pervenerunt, rem, ut contigerat, narra- runt Episcopo, qui convocatis Clericis Quæstionem maturo examini subjecit, an ratus habendus esset Baptismus, quem Deus sanitate huic homini prodigiose concessa approbasse videbatur. In eam omnes sententiam iverunt, nullum in Sacra Scriptura aut in Patribus locum inve-
niri,

niri, cujus Auctoritate ejusmodi Baptis-
 mus validus credi posset. Itaque Episco-
 pus Judæum ad Fluvium Jordanem mi-
 sit, ibi baptizandum; Philoponum vero
 Diaconum ordinavit. Ex alia narratio-
 ne dispicitur, Patrinos se Baptismi Va-
 des præbuisse, si baptizati erant homi-
 nes ignoti, aut quorum Conversio su-
 specta esse merebatur.

§. XX.

*Joannis Moschi & S. Anastasii Si-
 naitæ obitus.*

Joannes Moschus Pratum suum Spiritua-
 le ad Carissimum sibi Discipulum So-
 phronium direxit; hinc sub illius nomi-
 ne citatur, estque verisimile, in hoc
 opere non modicas Sophronii partes fuis-
 se. Istud igitur amicitiae pignus Joan-
 nes decedens ei reliquit, & in mandatis
 dedit, ne corpus suum Romæ relinque-
 ret, sed in arcula lignea abveheret, &
 in monte Sinai cum Monachis illius loci
 sepeliret. Si Barbarorum incursiones cor-
 pus in locum tam remotum transferri non
 permetterent, in Monasterio S. Theodo-
 sii, ubi primo renunciaverat Sæculo, se
 sepeliret. Jussa perfecit Sophronius, &
 Roma cum undecim Joannis Discipulis
 profectus, Ascalonem delatus est, ubi
 fama accepit, viam ad montem Sinai
 fervente Arabum Seditioe nullatenus

Prolog.

Hist. Eccles. Tom. VIII. X x esse

Sæculum VII esse apertam. Igitur sub initium Indictionis octavæ, id est, Mense Septembri anno 619. Jerosolymam venit, atque Abate S. Theodosii consentiente Beati Joannis Corpus in illud Monasterium translit.

Boll. 21. Ap. t. 10. p. 850. Eodem ferme tempore ex hoc Sæculo migravit S. Anastasius Sinaita editis libris celeberrimus, quorum præcipuus est *Hodegos*, seu Regula, ubi Methodus contra Hæreticos, præsertim contra Ace-

Bibl. PP. t. 1. p. 147. phalos, disputandi traditur. Superfunt etiam ipsius Libri undecim de Considerationibus Anagogicis in Creationem *Auct. Bibl. t. 1. p. 882.* Mundi, Libri quinque Dogmatici de *Sup. Lib. XXXVI. n. 26* Theologia, & non nulli Sermones. S. Anastasio Patriarcha Antiocheno, qui annis abhinc viginti nempe anno circiter 598. decesserat, discernendus est.

§. XXI.

Concilium Hispalense Secundum.

70. 5. Conc. p. 1663. In Hispania Concilium Hispali sub Sifibuto Rege 13. Novemb. anno 619. Æra 657. celebratum. Locus Conventus fuit Secretarium Ecclesiæ, quæ Jerosolyma dicebatur, atque Episcopi octo, omnes ex Provincia Bœtica, inter quos S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis eminebat, adfuerunt. Clerici quoque illius Civitatis, & duo Viri Sæculares ex ordine

ordine Illustrissimorum, Sifclius Provin-
 cia Rector, & Suanila Procurator Fisci
 intererant. Hujus Concilii Decreta in
 Actiones tredecim seu Capitula, habita
 materiae ratione, dividuntur; omnia ve-
 ro in tribus Sessionibus confecta. Oc-
 casione causarum particularium Regulæ
 universales traduntur.

Theodulfus Episcopus Malacanus que-
 rebatur, quod tres Episcopi vicini inter-
 tumultus bellicos aliquas Ecclesias suæ
 Diocesis occupassent. His auditis de-
 creverunt Patres; cuilibet Ecclesiæ Ca-
 thedrali omnia illa esse restituenda, quæ-
 cunque ante hostiles incurfus se possedis-
 se probaverit, nec locum esse præscri-
 ptioni, cum bello prohibente Episcopus
 agere non potuerit. Si bellum non ob-
 stet, statutum, ut Præscriptio 30. anno-
 rum secundum Edicta Principum & SS.
 Pontificum Decreta locum habeat, quan-
 do duo Episcopi de possessione minorum
 Ecclesiarum litigabunt. Hæc in Causa
 Fulgentii Astigitani & Honorii Cordu-
 bensis de terminis suarum Ecclesiarum
 disceptantium decreta, & Mandatarii
 missi, qui loca præsentis viderent.

Aliquis Episcopus oculis laborans uni
 Presbytero & Diaconis duobus manum
 imposuerat, & Benedictionem, id est,
 Formulam Ordinationis ab alio Presby-
 tero pronunciari jusserat, credens, se eos

X x 2

rite

Sæculum VII
A. C. 619.

Act. I.

Act. I.

Act. 5.

Sæculum VII rite ordinasse. Patres declararunt, ejus-
 A.C. 619. modi Ordinationes esse nullas. Nullus

Act. 6.

Act. 7.

**Canones
 Concilii Hi-
 spalensis.**

Episcopus Presbyterum aut Diaconum
 extra Concilium deponere possit, quam-
 vis solus ordinare possit. Presbyteri,
 etiam accedente Mandato Episcopi, Al-
 taria aut Ecclesias consecrare, Presby-
 teros aut Diaconos ordinare, consecra-
 re Virgines, Fidelibus baptizatis, aut ab
 Hæresi conversis manus imponere & ipsis
 Spiritum Sanctum dare, id est, confir-
 mare, Sacrum Chrisma conficere, aut
 baptizatos in fronte ungere, Pœniten-
 tem in Missa publice reconciliare, Epi-
 stolas formatas seu Ecclesiasticas dare, non
 possint. Hæc omnia Episcopis reservan-
 tur. Hodie aliquas ex his Functionibus
 peragendi facultas Presbyteris commu-
 nicata est. Presbyter, præsentem Episco-
 po, non nisi jussus, sequentia faciat:
 non intret in Baptisterium, non baptizet,
 Catechumenum non suscipiat, Pœniten-
 tes non reconciliet, Evcharistiam non
 consecret, non concionetur, Populo Be-
 nedictionem non impertiatur, aut salu-
 tem dicat. Quilibet Episcopus Oeco-
 Chalc. Sup. nomum ex numero Clericorum suorum
 l. XXIII. n. 29 secundum Decreta Concilii Calcedonen-
 sis sibi deligat. Sed prohibetur, ne Cle-
 ricis committatur istud munus, quo præ-
 ditus quodammodo Episcopi Vicarius
 erat, & Jurisdictionis aliquam partem
 capie-

capiebat. Rursus Episcopis prohibetur, ^{Sæculum VII} ne soli Bona Ecclesiæ administrent, ita A. C. 619.
 ut Oeconomum non habeant, qui Administrationis testis sit. Præterea legitur, Laicos a Clericis vestitu fuisse distinctos.

In Provincia Boetica magnus erat Monasteriorum numerus; hinc Episcopi, rogati ab Abbatibus, statuunt, ut nova Monasteria pariter ac antiqua conserventur, & aliqua vel opprimere, vel Bonis suis privare Episcopis non liceat.

Monasteriis Virginum Monachi præsent, ita tamen ut eorum Cellæ a fœminis sint remotæ, & ne quidem in illarum vestibulum intrent, solo Abbate excepto, & illo, qui Sanctimonialibus præpositus est. Uni ceterarum Rectrici loquatur præsentibus tamen duabus, tribusve Sororibus. Raro ad eas invisat, & breve sit colloquium. Probatissimæ vitæ Monachus ex arbitrio Episcopi eligatur, qui fundorum, domorum, ædificiorum, rerumque omnium, quæ fœminis necessariæ sunt, curam gerat; ipsæ vero de Salute animarum suarum sollicitæ sint, solo Dei Servitio occupentur, & operibus manuum, quibus & illud adnumeratur, ut vestimenta Monachorum contexant, qui eas adjuvant.

In hoc Concilium venit aliquis Episcopus Syru sex Secta Acephalorum, qui

X x 3

distin.

Act. 107

Act. 111

Act. 121

Sæculum VII distinctionem Naturarum in Jesu Christo
A. C. 619. negans, Divinitatem passibilem esse affir-
 mabat. Is cum diu Episcoporum Ca-
 tholicorum monitis & Doctrinæ repu-
 gnasset, tandem conversus, & ad eorum
AE. 13. Communionem admissus est. Hinc fa-
 ctum, ut Patres Concilii Decretis am-
 piam Dissertationem, qua Hæresis illa
 ex Scriptura & Patribus refutatur, sub-
 junxerint. Concilium istud inter Hispa-
 lensia secundum habetur.

§. XXII.

Regula S. Isidori.

Tom. 2. Cod. reg. p. 198. **N**ovis Provinciæ Bœticæ Monasteriis,
 de quibus in hoc Concilio mentio fit,
 sine dubio accenseri debet Monasterium
Honorii, cujus emolumento S. Isidorus
 Regulam suam scripsit. Ex ea videmus,
 Virum sanctum in hac arte versatissimum
 fuisse, & vitam Monasticam maximi æsti-
 masse. Præterea ipsius Regula ad intel-
 ligentiam aliarum præsertim S. Benedi-
 cti facit. S. Isidorus constituit, ut Mo-
 nasterium semper sit clausum, & villa a
 Monasterio separata. Fratrum Cellule
 prope Ecclesiam, Cella infirmorum pau-
 lo remotior, hortus intra Monasterii se-
 c. 1. pta sit. Novitii mensibus tribus in Cel-
 la hospitem probentur. Omnia Bona sua
 c. 4. vel pauperibus vel Monasterio donent,
 & dato chirographo se in Monasterio per-
 man-

Sæculum VII majore commiseratione digni sunt, quam
A. C. 619. vere ægroti, quia morbo animæ inficiun-
 tur. Tales, si eorum nequitia pateat,
 puniantur. Hæc Regula singulis diebus
 sex horas labori, & tres Lectioni assignat.
 Monachi in horto & præparandis cibis
 occupentur, agriculturam vero, & ope-
 ram in extruendis ædificiis locandam,
 mancipiis relinquant.

- c. 2. Abbas sit vir ætate matura, & in om-
 ni virtutum genere exercitatus. Ipse
 prior faciat, quæcunque aliis præcipit.
 Ter singulis septimanis Collationes ha-
 beat. Semper cum Congregatione sine
 ullo discrimine servata paupertate man-
 ducet. Alimenta Monachorum sint ole-
 ra & legumina, atque in Festis solemnibus
 non nunquam præter olera etiam
 caro levissima, (id ego de carnibus avium
 intelligo) qui a carnibus & vino absti-
 nere voluerit, liceat. Id statuitur ideo,
 quod adhucdum in Hispania Priscillia-
 nistarum reliquiæ superessent. A Pente-
 coste usque ad initium Autumni pran-
 deant, reliquo anni tempore tantum cœ-
 nam sumant. In Quadragesima in pa-
 ne & aqua jejunent. Singulis diebus &
 omni tempore, excepta die Dominica,
 jejunare liceat. Monachi vestimenta li-
 nea non habeant; in vestitu nitorem non
 quærant, & sorditiem arceant. Balneo
 non utantur, nisi ægrotent, & necessitas
 postu-

postulet. Omnes in uno cubiculo, si fieri possit, aut saltem in uno loco dormiant. Cubiculum autem semper lucerna illustretur.

Sæculum VII
A. C. 619.

c. 14.

Monachus, etiamsi gravissime delinquat, & quotiescunque relabatur, non ejiciatur ex Monasterio, ne majori peccandi periculo exponatur, sed in Monasterio pœnitentiam agere compellatur. In hac Regula culpæ minores & graviores sigillatim enumerantur. Aliæ ex oſcitantia aut infirmitate, aliæ ex malitia ortum trahunt; hæ Abbatis arbitrio puniendæ relinquuntur, illæ autem leviores trium dierum Excommunicatione expiantur. Erat hæc Excommunicatio ad normam Regulæ S. Benedicti separatim a Communitate, quo tempore Monachus includebatur, & nemini se ei jungere, loqui, cum ipso orare, aut manducare licebat. Tum pœnitentiæ tempore elapso Abbas ei in Ecclesia publice Absolutionem dabat.

c. 15.

c. 16.

c. 17.

Sup. Lib.
XXII. §. 18.

c. 19.

Hæc Regula satis distincte omnium Officia in Monasterio denotat. Præpositus, quasi Mandatarius, negotia extra Monasterium gerebat. Custodi seu Sacristæ Ecclesiæ cura, alteri vestiarii & supellectilis domesticæ, Ostiario hospitum, Cellerario annonæ, horreorum, & pecoris, Hebdomadariis culinæ & mensæ, alteri horti, alteri erudiendi pueros

X x § in ibano Mo-

Sæculum VII Monasterio oblatos, alteri Eleemosynas
A. C. 619. distribuendi erat demandata. Monaste-
 rium in Civitate habebat aliquam do-
 mum, in qua unus Senior cum duobus
 c. 22. junioribus manebat. Monachus ad a-
 liud Monasterium missus, more illorum,
 ad quos pervenerit, vivat, ne scandalo
 c. 23. sit. Antequam mortui sepeliantur, pro
 peccatis eorum Sacrificium offeratur, &
 altera post Pentecosten die idem Sacrifi-
 cium offeratur pro omnibus defunctis. (*)
 Hæc mihi in Regula S. Isidori inter cete-
 ra magis notatu digna visa sunt.

§. XXIII.

S. Helladius Toletanus.

Act. SS.
Ben. to. 2.
p. 136.
Idelf. de vir
illust. c. 7.

Sub idem tempus haud procul Toletō
 florebat Monasterium Agaliense, ex
 quo plures Episcopi, atque etiam S. Hel-
 ladius, ad regendam amplissimam Eccle-
 siam evocati sunt. Helladius in Aula Re-
 gum Gothorum, qui Sedem Toleti fixe-
 rant, illustrissimus, & Rerum publicarum
 Rector, nihilominus, ut poterat, sub sæ-
 culari

(*) Ejusmodi Testimonia contra Protestantes
 sunt Argumenta invicta antiquissimæ in Ecclesia
 Consuetudinis. Ceterum hic prima vice, quod
 sciam, omnium Defunctorum Commemoratio
 expressa occurrit, quamvis credibile non sit, S.
 Isidorum hujus rei primum esse Auctorem, sed
 hunc orandi morem potius a Majoribus accepisse.

culari habitu Monachorum Institutum Sæculum VII
 explebat. Nam quoties negotiis se sur- A.C. 619.
 ripere poterat, ad Monasterium Agalien-
 se convolans, remota Clientum sæculi-
 que pompa, Monachorum turmis junge-
 batur, & laborantes adjuvans stipularum
 fasciculos ad clibanum deportabat. Tan-
 dem relicto Mundo sanctam Congrega-
 tionem adiit, cujus Abbas fuit, eamque
 non tantum sancte rexit, sed etiam di-
 vitiis cumulavit. Ex Monasterio jam
 annis gravis & invitus ad regendam Ec-
 clesiam Toletanam post obitum Aufarii,
 qui Adelphio successerat, evocatur. Huic
 Sedi impositus est Sisebuto Rege circa
 annum 614. & annis octodecim usque
 ad annum 632. sedit. Episcopus majora
 virtutum exempla quam Monachus de-
 dit, & imprimis Charitate in pauperes
 enituit. At scribere renuit, satius esse
 ratus, si oves sibi commissas suis operi-
 bus & exemplo informaret.

Id. c. 5.

§. XXIV.

Homiliæ S. Antiochi.

Interim in Oriente Monasteria bello Per-
 sico turbabantur. Cum anno 619. He-
 raclii decimo Ancyram Galatiæ Caput
 occupassent Persæ, unde Monasterium
 Attalinense haud procul aberat, Mona-
 chi cum Abbate suo Eustathio ex illa Re-
 gione migrare, & Sedem sæpe mutare
 coacti

Theoph. an.
10. p. 53. ep.
Antiochi
to. 10.
Auct. Bibl.
PP. p. 1021.

Sæculum VII A. C. 619. coacti sunt, ne in manus Infidelium inciderent; quia vero in his peregrinationibus multos libros circumferre non poterant, Eustathius Abbas datis ad Antiochum Lauræ S. Sabæ in Palæstina Monachum litteris petiit, ut sibi totius S. Scripturæ Compendium componeret, quod in uno Volumine portatu facili omnia ad Salutem necessaria contineret. Simul rogavit, ut rei veritatem de morte & virtutibus Monachorum ejusdem Lauræ, crudelitate Arabum ante quinquennium occisorum, sibi perscriberet. Antiochus Eustathii Abbatis precibus satisfecit, edito Doctrinæ Moralis ex S. Scriptura excerptæ Compendio, in centum triginta Capita seu Homilias divisõ, & præfixa Epistola, in qua quadraginta quatuor Monachorum Fratrum suorum Martyrium, ut supra retuli, enarrat.

Sup. n. 10.

p. 1245. Niceph. XVIII hist. c. 52. Demet. Cyr. to. 2. Auct. Bibl. PP. p. 202. Bibl. Orient. p. 469. Antioch. p. 1244.

In ultimo Capite Hæreticorum a Simone Mago usque ad suam ætatem Catalogum texit, & postremo Severianos & Jacobitas ponit. Hi nomen nacti erant a quodam Jacobo cognomento Zanzalo seu *Bardai* in Syria Monacho & Severi Discipulo, qui Hæresin Eutyichis in Mesopotamia & Armenia docuit, & exinde in Syria Melchitæ dicti sunt Catholici, qui Concilium Calcedonense recipiebant; istud vero nominis idem significat ac Regii seu Cæsarei, quia nempe Catho-

Catholici Religionem Imperatoris tenebant. Antiochus cujusdam Athanasii Jacobitæ, Sedem Antiochenam invadere molientis, facit mentionem. In fine Operis subjungitur longa Oratio ad Deum placandum, & obtinendum auxilium, quo Christiani loca Sancta recuperarent. In Epistola ad Eustathium Abbatem Antiochus narrat, quid sibi & aliis Monachis Fratribus suis, ex quo Arabes irrupissent, acciderit, utque duobus annis in Monasterio S. Anastasii prope Jerusalem versati fuerint; tunc autem, subjungit, *S. Abbas Modestus nobis Auditor fuit, ut ad Lauram, vetus nostrum habitaculum rediremus. Non nulli momenti obtemperarunt, alii remanserunt in Monasterio S. Anastasii sub Regimine S. Abbatis Justini, qui antea multis annis in Laura commoratus, deinde ob præclara vitæ merita Presbyter ordinatus multis Monachis in illo Asceterio congregatis Statuta in Laura observari solita custodiri curabat, unde in nullo alio Palestina Monasterio Disciplinæ Regularis vigor melius conservabatur.*

§. XXV.

S. Anastasius Persa.

In illo Monasterio tunc degebat Persa juvenis Neophytus. Is Magundatus vocabatur, natus in Provincia Razechensi, filius

Sæculum VII
A. C. 619.

Sup. n. 10,

p. 1023.

Sæculum VII filius Magi, qui eum ab unguiculis Ar-
 A. C. 619. tem Magicam docuit. Grandior factus
 militiæ adscriptus est, atque illo tempo-
 re, quo Persæ Jerosolymam ceperunt,
 ipse in Metropoli Regni Persarum me-
 rebat. Cum audiret, allatam fuisse Cru-
 cem, cui Christianorum Deus fuisset af-
 fixus, & de ea multa prodigia referren-
 tur, hujus Crucis Mysterium scire cupiit.
 Tum quosdam Fideles nactus, qui eum
 in fide erudierunt, cœpit hac super re
 meditari & dicere: *Quomodo fieri potuit,
 ut magnus ille Deus, qui in Cælo habitat,
 huc ad nos descenderet.* Quo accuratius
 autem Religionem edocebatur, eo ma-
 gis veritate capiebatur, & Magiæ erro-
 res rejiciebat. Haud multo post cingu-
 lum posuit, & Hierapolim in superiore
 Syria delatus recepit se in domum cujus-
 dam Persæ Christiani & Monetarii, qui
 eum Artem suam docuit. Hunc juve-
 nis sæpe precibus fatigabat, ut curaret
 se baptizari; sed ille Persarum furorem
 metuens, rem differebat. Interim in Ec-
 clesias eum deducebat, ubi Magundatus
 conspiciens Historias Martyrum, inter-
 rogabat, quid hoc esset, eorumque sup-
 plicia & miracula admirabatur. Nec
 diu apud Monetarium moratus, Jeroso-
 lymam iter instituit, magno Baptismi re-
 cipiendi desiderio accensus.

Jero-

vit. c. 1. Boll.
to. 2. p. 426.
 432.

Jerosolymæ Magundatus apud virum ^{Sæculum VII}
 itidem Monetarium divertit, qui ad E- ^{A. C. 620.}
 liam, S. Sepulchri Presbyterum, hospi-
 tem deduxit. Elias tanquam Deo ju-
 bente receptum Modesto Presbytero &
 Sedis Jerosolymitanæ, Zacharia Patriar-
 cha in captivitate degente, Vicario tra-
 didit, qui Magundatum unacum alio ab
 illa etiam superstitione converso, & eo-
 dem desiderio flagrante, Baptismi fonte
 ablui curavit. Magundato in Baptismo
 Nomen Anastasius impositum, cumque
 octo primis diebus in domo Eliæ Pres-
 byteri versatus fuisset, interroganti, quod
 vitæ genus amplexurus esset, respondit,
 cupere se Monachum esse. Ergo depo-
 sita veste candida statim Elias Neophy-
 tum ad Monasterium S. Anastasii, qua-
 tuor milliariis Jerosolyma distitum perdu-
 xit, & in manus Justini Abbatis tradidit.
 Is anno Heraclii decimo Indictione octa-
 va, id est anno 620., inter Novitios su-
 scepto unum Discipulorum suorum Ma-
 gistrum dedit, qui eum litteras Græcas
 & Psalterium docuit, capillos refecuit,
 habitu Monastico induit, & tanquam fi-
 lium educavit. Varia in Monasterio
 servitia præstabat juvenis, præsertim in
 culina, & in hortis. In Officio Divino
 erat assiduus, atque S. Scripturæ, & vi-
 tis Sanctorum, plurimum autem in le-
 gendis Actis Martyrum delectabatur.

Sæpe

6. 2.

Sæculum VII Sæpe tamen Incantationes, quas a patre
 A. C. 620. audiverat, nolentis etiam memoriam
 subibant; cum vero hanc tentationem
 Abbati suo revelasset, ipsius & totius
 Congregationis oratione liberatus est.
 n. 13. p. 427. Hæc vita erat Anastasii in Monasterio, in
 quo annos septem egit.

§. XXVI.

Agrestinus Monachus Schismaticus.

V. S. Eustaf. In Occidente Disciplinam Monasticam
 c. 6. to. 2. *Act.* inter Discipulos Sancti Columbani in
 p. 118. pace florentem cujusdam Monachi, cui
 nomen Agrestis seu Agrestinus, turba-
 vit temeritas. Is quondam Theodorico
 Regi ab Epistolis, aliquo Pietatis sensu
 motus relictis omnibus Luxovium venit,
 ubi se S. Eustasii Regimini, secundo illius
 Monasterii Abbati, subjecit. Elapso non
 multo tempore zelum Religionis præte-
 xens licentiam petiit exeundi, & Paga-
 nis Evangelium prædicandi, quoniam ad-
 hucdum aliquos in vicinia Monasterii,
 in Sequanis, & ulterius in Bavaria reperi-
 re erat, quibus convertendis S. Eustasius
 non sine fructu operam impendebat.
 Cum vero Agrestinum tanto operi im-
 parem judicaret, ejus imprudentiam ar-
 guit, monuitque, ei sufficientem deesse
 Religionis Doctrinam. Sed tandem ho-
 minis importunitate victus abire eum
 permisit. Ille usque in Bavariam pene-
 trans,

ibid. n. 3.

trans, cum nullum laboris fructum con-
 sequeretur, Aquilejam se contulit, ubi
 trium Capitulorum Schismate, quod prius
 condemnauerat, implicari se passus, Epi-
 stolam ad S. Attalum secundum Abba-
 tem Bobiensem dedit, acerbis exprobra-
 tionibus plenam. Rediit deinde Luxo-
 vium & S. Eustasium in Schismaticorum
 partes pertrahere conatus est, qui econ-
 tra hominem ad frugem reducere adla-
 boravit, & videns, quod operam perde-
 ret, contumacem ex sua Communitate
 ejecit.

Sæculum VII
 A.C. 620.

n. 7.

Agrestinus ita expulsus nullum non
 movit lapidem, ut Sectatorum suorum
 numerum auget, & quia non prode-
 rant fraudes, calumnias adversus Regu-
 lam S. Columbani spargere cœpit, Abel-
 leni Episcopi Genevensis, Propinqui sui,
 Patrocinio suffultus. Hic Episcopus vi-
 cinos permovere adlaborabat, ut Agre-
 stinum tuerentur, imo etiam Regi Clo-
 tario imponere conatus est; sed Rex,
 qui propria experientia sciebat, Sanctam
 esse Columbani & Discipulorum ejus vi-
 tam, postquam frustra tentasset, Agresti-
 num admonitionibus ad saniora reduce-
 re, Concilium convocavit, nullus dubi-
 tans, S. Eustasium in defendenda Regula
 sua nequam laboraturum. Multis i-
 gitur Episcopis Burgundiæ jussu Regis in
 suburbio Matisconensi congregatis Agre-

n. 9.

Regula S.
 Columbani
 oppugnata.

Hist. Eccles. Tom. VIII.

Y y

fti-

Sæculum VII stinus in medium prodiens, quæ contra
 A. C. 620. Regulam S. Columbani afferret, edicere
 jussus est. Dixit, quod Ritus superflus
 & Canonicis Statutis contrarios conti-
 neat. Quod manducaturi signum Cru-
 cis super cochleare formarent, quod Be-
 nedictionem peterent, quotiescunque in-
 trarent aut exirent ex aliqua domo intra
 Monasterii septa. Nempe tantus erat
 Monachorum numerus, ut sub uno te-
 cto habitare non possent. Episcopi ar-
 bitrati, non afferri aliquid dignum, quod
 a Concilio examini subjiceretur, interro-
 garunt, an quidquam aliud haberet, quod
 objiceret. Dixit, S. Columbanum nu-
 merum Collectarum in Missa auxisse, con-
 suetudines servare exoticas, denique Hæ-
 resin fovere. Tunc vero S. Eustasius
 Sermone ad Episcopos directo inquit:
*Vestrum est judicare, quinam in Ecclesia
 veritatem, aut errorem doceant. Dixe-
 runt: Volumus ex ore tuo audire, quid
 ad objecta respondeas. Dixit: Credo, con-
 tra Religionem nullatenus pugnare, si
 Christianus signum Crucis faciat super
 cochleare suum, aut quodcunque aliud vas,
 quo bibens vel manducans utitur, cum i-
 stud signum insidias inimici destruat. Ad
 impertiendum Benedictionem intrantibus
 & egredientibus Auctoritatem S. Scri-
 pturæ adducimus ex Psalmo: Dominus
 custodiat introitum tuum & exitum tuum.*
 Quod

Psal. 120. 8.

*Quod autem pertinet ad augmentum Col-
lectarum in Officiis Divinis, credo ora-
tionis prolixitatem omnibus Ecclesiis esse
utilem, quoniam quo ardentius Deum
quærimus, eo facilius eum invenimus;
præterea præceptum semper orandi habe-
mus.*

Sæculum VII
A. C. 620.

n. 12.

Agrestinus his Responsis confusus
addidit; S. Columbani Discipulos crines
ritu singulari & ridiculo sibi abscindere.
Nempe Tonsuram more Hibernorum ge-
rebant, quæ erat semi-corona non totum
orbem implens, quia capilli in anteriore
parte capitis abscissi, & in postica, qua
ab una aure ad alteram ducebantur, lon-
giores erant. Hic S. Eustasius respon-
dit: *In præsentia istorum Episcoporum
ego Discipulus & Successor illius, cujus
tu Institutum damnas, te ad Tribunal Dei
intra hunc annum provoco, ut cum ipso
Causam dicas.* Hoc dictum aliquos A-
grestini Sectatores perculit, omnesque
ambos ad pacem ineundam hortari cœ-
perunt. Cum Agrestinum vehementer
urgerent, petiit ille pacem, & S. Eusta-
sius ei osculum dedit, non ignarus, huic
reconciliationi Agrestinum animum sine-
rum non afferre.

Nec a vero aberravit Vir Sanctus,
nam brevi iterum nihil intentatum reli-
quit, ut sibi Fautores in Monasteriis pa-
raret. Fraudibus pervertere aggressus

Yy 2 est

Sæculum VII est Romaricum, qui olim inter Proceres
A. C. 620. Regis Theodeberti facile princeps, postea Luxovii Monachus, ex consensu S. Eustasii Monasterium puellarum in Fundo suo, qui *Habenda* dicebatur, in Dicecesi Tullensi ædificaverat. Hoc Monasterium posterioribus temporibus Fundatoris Nomen retinuit, & Germanice *Ro-berg* Gallice *Remiremont* appellatur. Geminum fuisse creditur, virorum unum & Virginum alterum; ceterum Regula S. Columbani observabatur. S. Eustasius primum Abbatem ibi constituerat Amartium seu Amatium, quem Luxovium adduxerat, postquam aliquamdiu Monachus Agaunii, & deinde Anachoreta fuisset. Prima Abbatissa fœminis Sancta Maestleda præfecta fuit. Hos igitur Viros Sanctos Amatium & Romaricum Agrestinus tentavit, eo faciliore victoria, quod nactus fuerit tempus, quo ambo ob nescio quem teporem objurgati Sancto Eustasio irascebantur; scilicet persuasit, ut Regula S. Columbani contempta novas consuetudines inducerent. Cum vero etiam S. Faram adiisset, ab illa virili constantia repulsus Remiremontium rediit. At illos in eo Monasterio, qui Novatorem sectabantur, Divina Ultio corripuit; nam duos eorum lupi rabidi noctu in Monasterium irrumperentes devorarunt, alius, cui nomen Plau-

v. to. 2. Aff.

B. p. 129. ib.

n. 18. p. 133.

Plarelius, sibi metipſi laqueo gulam fre-
 git, fulmen quoque in illam Domum ir-
 ruens Monachos viginti in ictu oculi in-
 terfecit, alios pavor exanimavit, & uni-
 verſim plusquam quinquaginta mortem
 oppetierunt. Tandem ipſe Agreſtinus
 ſecuri percuffus a famulo ſuo, cujus u-
 xore abutebatur, occubuit. Ita periit
 uno menſe prius, quam ille annus fuiſ-
 ſet elapſus, intra quem eum S. Euſtaſius
 contra S. Columbanum Cauſam dictu-
 rum, ad Divinum Tribunal citaverat.
 Tunc vero Amatus & Romaricus S. Eu-
 ſtaſio reconciliati, Abellenus Genevenſis
 aliique Galliarum Epifcopi Regulæ S. Co-
 lombani Defenſores facti, & multa ex-
 inde fundata Monasteria, quibus eadem
 Regula præſcripta eſt.

§. XXVII.

S. Columbani Discipuli.

Sanctus Euſtaſius aliquo poſt tempore in
 Cælum evolavit anno 625. 29. Martii, 29. Mart.
 quo die Eccleſia ejus Memoriam colit. *v. S. Gall.*
 Ipſo defuncto Monachi Luxoviennes S. *c. 39. Aſſ. B.*
 Gallum revocare, ſequæ ejus poteſtati *to. 2. p. 246.*
 ſubjicere ſtatuèrunt, hunc in finem Fra-
 tribus ſex, olim ex Hibernia advectis, ad
 eum miſſis; ſed permovere S. Virum
 non potuerunt, ut dilectam ſolitudinem
 ad lacum Conſtantiaë relinqueret. Igi-
 tur in tertium Abbatem Luxoviienſem

Y y 3

electus

Sæculum VII electus est S. Valdebertus S. Eustasii Di-
 A. C. 625. scipulus, SS. Faronis & Chagnoaldi Fra-
 ter, qui hoc Monasterium annis quadra-
 ginta rexit.

Act. Ben. to.
 2. p. 503.

Ex Luxoviensi Abbacia & S. Colum-
 bani Disciplina plures etiam alii Sancti
 Abbates aut Monasteriorum Fundatores,
 multique Episcopi Sanctitate vitæ incly-
 ti prodierunt. S. Deicola, cum S. Co-

Act. to. 2. p.
 103.

lumbanum in Italiam proficiscentem se-
 qui non potuisset, in Burgundia rema-
 nens Monasterium Lutrense seu Lurense
 in Dioecesi Vesuntina fundavit. Obiit

Mart. Rom.
 18. Jan.

anno circiter 625. 18. Januarii, quo die
 Ecclesia ejus Memoriam veneratur. No-

† nempe in
 Gallia.

tus est populo sub nomine Sancti *Die.* †
 S. Amatum & S. Romaricum paulo ante
 memoravi, & de quibusdam aliis suo lo-
 co loquar.

Act. Ben. to.
 2. p. 76.

S. Valerius in Arvernia natus, pri-
 mum in quodam Regionis illius Mona-
 stero mansit, tum Antiffiodorum se con-
 tulit ad Episcopum Aunacarium, qui
 eum in Monasterium suum S. Germani
 suscepit. Inde egressus cum alio, a se
 converso, cui nomen Bobo, Luxovium

l. 10.

S. Columba-
 ni Discipuli.

adiit, & S. Columbanæ Disciplinae se tra-
 didit, cumque aliquis ex illis Monachis,
 cui Nomen Valdolenus, licentiam obti-
 nuisset abeundi, & Fidem Infidelibus
 prædicandi, pii laboris socium Valerium
 expetiit, consensitque S. Columbanus,
 eidem

eidem Valerium tanquam magnum Dei ^{Sæculum VII}
 Servum commendans. In Neustriam de- ^{A. C. 625.}
 lati, & a Rege Clotario humanissime ex-
 cepti, acceptis ab eo fundis, qui Leuco-
 nenses dicebantur, in Territorio Ambia-
 nensi, parvum Monasterium construere
 cœperunt. De S. Valerio memorant, *c. 6.*
 ipsum duo officia, Gallicanum & Mona-
 sticum, id est, S. Columbani, recitasse.
 Obiit Die Dominica duodecima Decem-
 bris, &, ut creditur, anno 622. Haud *c. 29.*
 multo post Discipulis ejus persecutionem
 patientibus, & ex illo Monasterio fugere
 compulsis, eorum aliquis, S. Blimundus
 Bobium sub Disciplina S. Attali se rece-
 pit; postea vero in Galliam reversus, Re-
 ge Clotario eum tutante, Domum Leu-
 conensem restauravit, Idola subvertit,
 Infidelitatis reliquias delevit, & tecta re-
 sarcivit Monasterii, quod hodieque sub
 nomine S. Valerii existit.

Quinque numerantur Episcopi ex
 Monasterio Luxoviensi ad Regimen Ec-
 clesiarum evocati, S. Donatus Vesunti-
 nus, S. Ragnacarius Rauracoriensis & Ba-
 fileensis, S. Chagnoaldus Laodunensis,
 S. Acharius Noviodunensis & Tornacen-
 sis, S. Audomarus seu Omarus Bononien-
 sis & Teruanensis. S. Donatus Vandaleni *vit. S. East.*
 Ducis Burgundiæ Transjuranæ filius hoc *n. 5. to. 2. p.*
 Nomen a S. Columbano eum ex Fonte *118. ibid.*
 Baptismatis levante acceperat, quia Vir *p. 335.*

Sæculum VII
A. C. 625. Sanctus precibus suis a Deo impetraverat, ut nasceretur. Puer sub ipsius Disciplina in Monasterio Luxoviensi educatus, & deinde etiam sub S. Eustasio ibidem versatus est, donec ad Sedem Episcopalem Vesuntinam evocaretur. Verum etiam si tanta Dignitate auctus esset, habitum tamen & vitam Monasticam nunquam dimisit. In illa urbe fundavit Monasterium S. Pauli, agris donatis locupletavit, & Monachos immisit, qui Regulam S. Benedicti & S. Columbani servabant.

to. 3. cod. reg.
p. 78.

Flavia ejus Mater Monasterium Fœminarum in honorem Sanctæ Virginis extruxit, quibus S. Donatus Regulam composuit, ex Regulis S. Cæsarii, S. Benedicti, & S. Columbani excerptam. Monasterium istud Dominæ Nostræ, & Vespuntione deinde in manus Cluniacensium, & tandem Minimorum, & pervenit. S. Chagnoaldus Chagnerici Filius, S. Faronis & S. Valdeberti Abbatis Luxoviensis frater, S. Columbani Discipulus, si quis alius, fidelis, exinde Episcopus Laodunensis fuit.

† id est,
S. Mariæ.
† nempe Ordinis S. Francisci de Paula
Sup. n. 7.
v. S. Eustas.
n. 1.

§. XXVIII.

Concilium Rhemense.

to. 5. Conc.
p. 1688. Sanctus Chagnoaldus cum S. Donato interfuit Concilio Rhemensi sub Sunnacio Archiepiscopo anno 625. celebrato,

to, quo ultra quadraginta Episcopi ex omnibus Gallia^e Provinciis, quæ Regi Clotario parebant, convenerunt. Canones viginti quinque conditi, ex quibus notatu magis digni sunt; Observandos esse Canones Concilii Parisiensis ante annos circiter decem celebrati, quod hic Generale vocatur. Qui ad Ecclesiæ Asylum confugerint, non educantur, nisi addito promisso & juramento, eos nec capite plectendos, nec tormentis subji- ciendos, nec mutilandos esse; econtra reus non liberetur, nisi se pœnam Canonicam crimini suo debitam subiturum promiserit.

Qui homicidium voluntarium commiserit, toto vitæ tempore erit excommunicatus, si autem pœnitentiam sustinuerit, in mortis Articulo Viaticum accipiat. Prohibetur, ne quis Auguria captet, Gentilium Ritus servet, cum ipsis carnes superstitione oblatas comedat, aut ipsorum Sacrificiis intersit. Qui, antea monitus, tamen fecerit, pœnitentiam subeat. Prohibetur, sub pœna Excommunicationis, ne quis homines liberos persequatur, ut in Servitutem redigat.

Non ordinetur Episcopus nisi in illo loco natus, atque a populo consentientibus Episcopis illius Provinciae electus. Hanc præ aliis causam S. Gallus ante annos aliquot obtenderat, cum Episcopatum

Sæculum VII
A. C. 625.

Can. 3. Sup.
n. 14.

c. 7.

c. 9.

c. 14.

c. 17.

vit. S. Gal.
c. 24.

Yy 5

Con-

Sæculum VII Constantiensem recusavit, quod in Gen-
A.C. 625. te extera esset natus, & Joannem Diaconum suum Indigenam ordinari voluit.

In hoc Concilio visebantur sex Metropolitæ, Sunnacius Rhemensis, Synodi Præses, Theodoricus Lugdunensis, Sindulfus Viennensis, Sulpicius Bituricensis, Modegisilus Turonensis, Senocus Afcionensis. Sindulfus 10. Dec. colitur, & vulgo *S. Drieuls*, vel *S. Sandoux* dicitur. S. Sulpicius cognominatus pius, ut distinguatur ab alio antiquiore, cui cognomentum Severi datum, itidem Archiepiscopo Bituricensi. Hunc in ipsa Civitate Bituricensi natum aliquando Rex Clotarius ab Episcopo suo expetierat, ut Abbatis munere in exercitibus suis fungeretur; unde dispicimus, Monachos a Regibus accersitos fuisse, qui in castris Officium Divinum peragerent. Anno 624. S. Sulpicius S. Austregisilo in Sede Bituricensi successit, & multis editis miraculis anno circiter 644. 17. Jan. migravit in Cælum. Ex Episcopis Concilii Rhemensis plures alii ab Ecclesia inter Sanctos coluntur. Notissimi sunt Arnulphus Metensis, & S. Cunibertus Coloniensis.

Illo ferme tempore, quo istud Concilium celebrabatur, S. Richerius Monasterium celebratissimum Centulanum, quod hodie Nomen ejus gerit, fundavit. Is in

Mart. Rom.
 10. Dec.
Act. Ben. to.
 2. p. 167.

Concilium
 Rhemense.

Ibid. p. 99.
 p. 179.

Mart. Rom.
 17. Jan.

in ipso loco territorii Pontiniacensis ex nobili genere ortus, conversus est ad Fidem a duobus Sanctis Presbyteris Hibernis Caidoco & Fricorio, quos ad Galliam oram appulso in domum suam susceperat; post conversionem rigidissimum pœnitentiæ genus amplexus, bis tantum per hebdomadam cibum sumebar, & nulum alium, quam panem hordeaceum asperso cinere. Omnia sua mancipia libertate donavit; tum Presbyter ordinatus, & Verbum Dei non in Gallia modo, sed & in magna Britannia prædicans, uberes fructus retulit. Cum Rex Dagobertus aliquando ipsum invisisset, Vir Sanctus de fallacitate Dignitatum terrenarum, & terribili Judicio, quod illos, qui præsumunt, manet, gravi oratione diseruit. Obiit circa annum 645. 26. Aprilis.

Sæculum VII
A. C. 625.

vit. to. 11.
Act. Ben. p.
187.

Mart. R. 26.
Ap. An. 624.

§. XXIX.

Ecclesia Anglicana.

In Anglia S. Mellito Cantuariensi, postquam hanc Sedem annis quinque tenuisset, anno 624. 24. Aprilis fati functo, successit Justus, antea Episcopus Rossensis, cui Sedi pro se Romanum, potestate a Bonifacio Papa accepta, imposuit. Quippe Bonifacius redditis sibi Justi & Ethelaldi Regis Epistolis, ad Justum litteras dederat, in quibus Laboris Apostolici successum

Beda II. hist.
c. 7. Sup. n. 24
ibid. c. 8.

sum

Sæculum VII
A.C. 625.
e. 9. sum gratulatur, hortatur ad constantiam, dicit, se ipsi Pallium mittere & potestatem concedere Episcopos ordinandi, ut eo facilius Evangelium propagaretur.

Ethelbaldi Cantii Regis Soror Eduino quinto Regi Nordhumbrorum, tunc inter ceteros Angliæ Reges potentissimo, nupsit, atque hujus Principis Regiæ, cui nomen Edelburga, alias Tatia, Conjugium conversionis Regis Mariti ejus & Subditorum occasio fuit; cum enim Eduinus misisset, qui eam nomine suo in Matrimonium expeterent, & responsum accepisset, non licere puellam Christianam viro Infideli conjugem dare, promissit, se non tantum futuræ Conjugi, sed etiam Comitibus, Presbyteris quoque & Clericis maximam libertatem Religionis suæ Ritus exercendi concessurum, edixitque, se ipsum illam Religionem susceptorum, si, a viris sapientibus diligenter examinata, sanctior & Deo dignior inveniretur. His datis Responsis dimittitur ad eum Princeps Regia comitante Paulino, quem eo consilio Justus Archiepiscopus Die Dominico 21. Jul. anno 625. Episcopum ordinaverat. Is in Regionem Nordhumbrorum adveniens, illos qui secum erant, in Fide confirmavit, atque etiam Paganos convertere adlaboravit, sed tunc quidem conatus optato successu caruit.

Inte-

Interim Bonifacius Papa sciens, Regem Sæculum VII
 Eduinum propenso in Religionem Ca- A. C. 625.
 tholicam animo esse, data Epistola hor- c. 10.
 tatur, ut Christianus fiat, & permovere
 conatur adductis argumentis; veri Dei
 potentiam esse infinitam, Idola vero in-
 ania simulacra, ipse potius omnium Prin-
 cipum, Imperatoris, & Regis, Vicini sui, Edelburga
 Edbaldi exempla sequeretur. Scripsit Regina.
 quoque ad Reginam Edelburgam; læta- c. 11.
 tur de ejus conversione, nam eam cum
 Fratre Rege Fidem fuisse amplexam per-
 ceperat, exhortatur, ut Conjugem omni-
 bus viribus Deo lucrari contenderet, &
 hac super re ad se scriberet. Cum his
 Epistolis munuscula nomine S. Petri,
 quem eorum Defensorem appellat, Regi
 Interulam auro intexto pretiosam, &
 pallium, Reginae speculum argenteum,
 & pectinem eburneum auro ornatum
 misit.

At Bonifacio Papæ datum non fuit,
 conatus sui fructus cernere, nam eodem
 anno 625. 25. Octobr. e vivis abiit, cum
 S. Sedem tenuisset annis septem & decem
 mensibus. Duabus Ordinationibus men-
 se Decembri Presbyteros viginti septem
 & Diaconos quatuor, aliis temporibus
 Episcopos ad diversas Ecclesias viginti
 novem creavit. Clerum amavit, eique
 Distributionem † integram largiebatur; † quales ho-
 die sunt Di-
 at Acolythis prohibuit, ne SS. Marty- strationes
 rum Canonico-
 rum quoti-
 dianæ,

Sæculum VII rum Reliquias tollerent, aut cum Diaconis baptizarent, sed volebat, ut in hac
A. C. 626. Functione Subdiaconi Diaconis ministrarent, & SS. Reliquiæ a Presbyteris tollerentur. Cœmeterium S. Nicomedis perfecit, & dedicavit. Ipso defuncto Sacra Sedes sex mensibus & octodecim diebus vacavit, tumque 14. Maji anno 626. ordinatus est Honorius ex Campania Petronii Consulis filius, qui annis duodecim sedit.

§. XXX.

Conversio Regis Eduini.

Bed. II. hist.
c. 9. Honorio S. Petri Sedem tenente Eduinus Rex Nordhumbrorum ad Fidem conversus est. Nocte Paschali Regina uxor ejus filiam peperit; & ecce! ipso Festo 20. Aprilis anno 626. Sicarius a Rege Saxonum Occidentalium immissus Regem invadit, duos ex comitibus interficit, & ipsum Principem vulnerat. Cum vero Diis suis Gratias ageret, quod se ex hoc periculo eripuissent, Episcopus Paulinus tunc præsens, Deo Gratias agebat pro felici Reginæ partu, dicens ad Regem, Reginam precibus suis hanc prolem a Deo obtinuisse. Grata fuit Regi admonitio Episcopi, promisitque, se Idola sua abjecturum, & Jesum Christum adoraturum, si victoriam de Rege illo, qui sibi per parricidam insidiatus erat, tribuis-

tribuisset, atque in sinceri animi pignus Sæculum VII
A. C. 626.
permisit, ut Episcopus filiam suam bapti-
zaret. Id in die Pentecostes factum, at-
que hæc Regia puella nomen Enfleda ex
sacro fonte tulit. Ceterum prima fuit
ex tota Gente Nordhumbrorum, quæ
cum duodecim aliis ex stirpe Regia
genus ducentibus salutis lavacro ablu-
ta est.

Eduinus Rex, ubi ex vulnere convaluit,
collecto exercitu in Regem Saxonum
Occidentalium movit, vicitque, omni-
bus illis, qui in necem suam conjurave-
rant, vel captis vel interfectis. Domum
reversus Baptismum statim accipere ta-
men noluit, quamvis ex quo promiserat,
Christianum se futurum, Idolorum cul-
tum abjecisset; sed de rebus ad Fidem
pertinentibus a Paulino Episcopo accu-
rate edoceri volebat, & de negotio tan-
ti momenti cum Optimatibus, quorum
prudentiam longa experientia perspe-
ctam habebat, deliberabat. Præterea
sæpe ipse solus, quæ Religio præferenda
esset, ponderatis utrinque momentis per-
pendebat. In illa deliberatione erat,
cum ei Epistolæ Bonifacii Papæ, anno su-
periore defuncti, redditæ sunt; Paulino
autem Episcopo non satis erat, Regem
suis exhortationibus incitare, sed etiam
multis precibus a Deo salutem ejus ef-
flagitabat, & cælesti Revelatione prodi-
gium

Sæculum VII gium arcanum accepisse creditur, quod
A. C. 626. Regi olim ostensum fuerat.

Eduinus Rex Nordhumbrorum. Nam Eduinus cum in atate juvenili Edelfridum Antecessorem suum longo tempore sibi infensum sensisset, ad quemdam alium ex Anglorum Natione nomine Redualdum confugit. Is fugientem quidem in domum suam excepit, at deinde cum minis tum pollicitationibus Edelfridi mutatus promisit, se Eduinum traditurum. Ille noctu a fideli amico per litteras monitus excessit e Palatio, & inops consilii in saxo extra fores posito sedens, quid sibi faciendum esset, hæsitabat. Tunc vero derepente virum conspexit, cujus facies & vestis ignota. Is Eduinum percontari, quid hic solus & ista noctis hora ageret, & mox dixit: *Quid illi daturus esses, qui te ab hoc metu liberaret, & Redualdum permoveret, ut te nec inimico tuo tradat, nec quicquam mali inferat?* Eduino respondente, daturum se Benefactori suo quidquid posset, addit ignotus: *Si quis autem tibi promitteret, non solum ex potestate inimicorum tuorum te esse liberandum, sed etiam Regem futurum Regibus omnibus ex Natione Anglorum, Antecessorum tuorum, potentiolem?* Statimque tertio adjecit: *Et si ille ipse, qui tibi tanta bona prædixit, consilia suggerat vitæ beate instituendæ & Saluti tuæ utiliora, quam unquam*

unquam Patres tui aut Propinqui acceperunt, an promittis, illa sequi? Sæculum VII
A. C. 626. Promisit

Eduinus, & illico ignotus, manum capiti ejus imponens, dixit: *Quando rerum istarum eventum videris, memento eorum, quæ hodie loquimur, & ista promissis.* His dictis oculis ejus ereptus magno solatio recreatum reliquit. Jamque adest amicus ejus nuncians, eum securum esse de periculo, quia Rex Edelfridus a Regina uxore mitigatus statuisset, ejus defensionem suscipere. Effecit etiam, quod decreverat, & ipsum Redualdum bello aggressus profligavit. Ita Eduinus ad Coronam pervenit.

Igitur Paulinus Episcopus de hac visione edoctus ingreditur ad Regem Eduinum de mutanda Religione deliberantem, & manum super caput ejus ponens quærit, an cognosceret hoc signum. Contremuit Rex, & ad pedes Episcopi accidere parabat, qui primum erigens, leniter dixit: *Vides jam, quod Deus te ex manibus inimicorum tuorum eruerit, & Regnum, quod optabas, dederit; memineris itaque, rem, quam tertio loco promissisti, præstandam esse, id est, Fidem suscipiendam, & Præcepta ejus servanda.* Adhucdum Rex spatium petiit, quo cum suis colloqueretur, & simul omnes baptizarentur; consensitque Episcopus. Ergo Nordhumbri Rex suis ad Consilium vocatis, singulos convertun-

c. 13.

Hist. Eccles. Tom. VIII. Z z mentur.

Sæculum VII mentem suam aperire iussit. Tum Coi-
A. C. 626. fuis Pontificum primus dixit: *Tuum est,
 o Rex! judicare, an bona vel mala sit Do-
 ctрина, quæ nobis hodie affertur. Ego
 quidem certissimum tibi affirmo, Religio-
 nem, quam hucusque secuti sumus, nullam
 habere utilitatem; quamvis enim nullus
 Subditorum tuorum in colendis Diis no-
 stris me studiosior fuerit, multi tamen a
 te & majoribus beneficiis cumulati, & am-
 plioribus Dignitatibus ornati sunt, &
 quidquid cupiunt, feliciter consequuntur.*
 Alius addidit: *Præsens vita similis mihi
 videtur volatui aviculæ, quæ hyberno tem-
 pore per triclinium, in quo ad focum ju-
 cunde epulamur, transvolat. Volucris
 per unam portam intrans & per alteram
 exiens uno momento calore refocillatur, &
 abripitur ex oculis nostris. Talis est vi-
 ta nostra; nescimus enim, quæ præcesse-
 rint, nec quæ secutura sint. Si nova hæc
 Doctrina nos doceat certiora, rationi con-
 sentaneum est, ut eam amplectamur.*

Tum Coifius Pontifex dixit, cupere
 se, Paulinum de Deo suo accuratius dis-
 ferentem audire, cumque ille sapientissi-
 me peroraret, exclamavit Pops: *Diu est,
 quod perspexerim, nullos esse Deos, quos
 adorabamus, nam quo magis in nostra Re-
 ligione veritatem quærebam, eo minus in-
 veniebam. Nunc vero Veritatem ex hæc
 Doctrina emicare cerno, hæc nobis vitam,
 Salu-*

Salutem, & Beatitudinem æternam dabit. **Sæculum VII**

Quare censeo ego, o Rex! Templam istam & **A. C. 627.**

Aras, quas sine commodo nostro consecra-
vimus, a nobis esse incendendas. Rex co-
 ram professus est, se Idololatriam abji-
 cere, & Jesu Christi Fidem amplecti;
 cumque ex Pontifice Coifio percontare-
 tur, quis primus Templam & Idola in mu-
 ris suis esset aggressurus, Coifius respon-
 dit: *Ego ipse, qui adsum; cujus enim*
alterius exemplum magis, quam meum,
apud populum valeat? Mox rogat Regem,
 ut arma & equum generosum sibi dari ju-
 beret, cum prius antiqua illius Gentis
 Superstitione nefas esset, Pontificem ar-
 ma gerere, & tantum equa vehi liceret.
 Igitur equo insidens gladio accinctus ma-
 nu lanceam dirigente ad Idola defertur,
 populo, cui a sana mente dejectus vide-
 batur, obstupescente. Ubi intra teli ja-
 ctum fuit, ut Templum profanaret, lan-
 ceam primus immittit, sociosque muros
 diruere, flammis vastare, & funditus e-
 vertere jubet.

Rex Eduinus anno Regni sui undeci-
 mo, Christi 627. cum omnibus proceri-
 bus & maximo populi numero, Eboraci,
 seu vulgari nomine *York*, Die Pa-
 schæ, duodecimo Aprilis, in Ecclesia S.
 Petri, quam tumultuario opere ex ligno
 construi præceperat, dum omnia ad Ba-
 ptismi ejus Cæremonias parantur, bapti-

c. 14.

Z z 2

zatus

Sæculum VII zatus est. Mox vero Paulino Episcopo
 A. C. 627. instante in eodem loco Ecclesiam lapi-
 deam, ampliorem & augustiore forma,
 in cujus medio primum illud Oratorium
 stabat, ædificari curavit, quæ tamen
 Eduino jam fati functo ab ejus Successore
 Osualdo demum perfecta est. Itaque
 Paulinus Episcopus Eduino Rege consen-
 tiente Cathedram Episcopalem in Civi-
 tate Eboracensi erexit, & annis sex se-
 quentibus, quibus regnavit, libere Fi-
 dem prædicavit. Inter alios prolem Re-
 giam, nempe filios quatuor, filiam unam
 & unum nepotem baptizavit. Plurimos
 quoque Nobilitate generis & Dignitate
 præcipuos sacro fonte abluit, tantusque
 illius populi fervor fuit, ut, cum Pau-
 linus aliquando cum Rege & Regina in
 prædium, quod Adreginum vocabatur,
 venisset, triginta omnino diebus cate-
 chizandis & baptizandis utriusque sexus
 hominibus a mane usque ad vesperam sine
 intermissione occuparetur. In illis prin-
 cipiis in fluminibus baptizabat, quia Ora-
 toriis & Baptisteriis construendis tempus
 non erat; unde colligimus, Baptismum
 per immersionem fuisse collatum.

§. XXXI.

Heraclius Victor.

Interim Heraclius Imperator bello Per-
 sico fatigabatur. Nam Persæ capta
 Jero-

Jerosolyma Ægyptum, Alexandriam, Sæculum VII
 Lybiam, & reliquas terras usque ad ter- A. C. 627.
 minos Æthiopiæ armis sibi subjecerunt, Sup. n. 16.
 præter Captivos plurimos, ingenti præ- Theoph. an.
 da abvecta. Anno 615. Indictione ter- 6. p. 252.
 tia Saenus Persarum Dux cum copiis us-
 que Calcedonem pervenit, ubi a civibus
 Constantinopolitanis ultra fretum positus Chr. Pasch.
 conspiciebatur. Heraclius Imperator ad p. 386.
 eum se conferre dignatus profusis donis
 permovit ut recederet, & quia Saenus
 spem magnam faciebat, pacem iniri pos-
 se, Heraclius Legatos misit, deditque
 ad Cosroem epistolam, qua eam submis-
 sissime petebat, culpam exorti belli in
 Phocam rejiciens; sed hac epistola nihil
 potuit obtineri; nam Persæ a Calcedo-
 ne recedentes partem copiarum relique-
 runt, quæ urbem obsederunt, atque an-
 no sequente 616. Heraclii septimo eam
 ad deditioem compulerunt. Cum He- Theoph. an.
 raclius secunda Legatione in Persiam mis- 7. an. 8.
 sa pacem deposceret, Cosroes respon-
 dit: *Non parcam tibi, nisi Crucifixum,*
quem Deum esse dicis, abjeceris, & So-
lem adoraveris.

Ergo Heraclius bellum omnibus viri-
 bus gerendum parabat, & ne a tergo ho-
 stis esset, qui quidquam moveret, pacis
 fœdera cum Cagano seu Avarum Duce
 iniit; quippe ille Thraciam armis infe-
 staverat. Cum nemo esset, qui pecu-
 nias

Sæculum VII nias mutuas dare posset, Bona Ecclesiarum, atque etiam candelabra & alia vasa S. Sophiæ accepit, unde signata pecunia cuderetur; tum Paschæ Festo celebrato, quarto Aprilis, Indictione 10. anno Regni sui 12. id est anno 622. sequente die iter ingressus est, in Persiam mo-

Chr. Pasch. *p. 390.* turus. Ubi in conspectu exercitus fuit, arrepta Jesu Christi imagine, quæ non hominum manibus picta credebatur, militibus suis juramento se obstrinxit, ipsos, quoad viveret, se inpugna socium habituros, nec etiam in se unquam vel Imperatoris vel patris affectum desideraturos. Quibus adjecit: *videtis, conculcatam a Dei hostibus patriam, devastatas urbes, & civibus vacuas, Sanctuaria combusta, mensas incruentis Sacrificiis destinatas sanguine profanatas, atque Ecclesiarum Sanctitatem spurcissimis voluptatibus inquinatam.* Ita Heraclius militi suo animos addidit, jamque illo anno felicibus auspiciis cum Persis congressus, eos in Armenia proelio vicit.

Theoph. an. Anno sequente 623. Indictione undecima in Persiam penetravit, & Cosroem
1. p. 258.
Cedr. an. 13. Urbem Gazac, in qua Templum erat
p. 412. Igni sacrum, deferere coegit. Heraclius urbem intravit, & in Regia Statuam Cosrois aspexit sedentis sub arcuato fastigio, quod Coeli similitudinem referebat. Circa Regem pendebant sol & luna,

luna, stellæque, Angeli quoque adsta-
bant, scepra gestantes. Non nunquam
ex machinis guttæ demittebantur plu-
viam imitantes, & excitabatur fragor
tanta arte, ut Cœlum tonare crederetur.
Imperator Palatium istud, Templum ignis,
totamque Civitatem flammis deleri jussit;
tum exploraturus, quo cohortes in hiberna
mittendæ essent, exercitu per triduum
expiato Evangelia aperuit, & sibi præcipi
intellexit, ut in Albania hibernaret.

Sæculum VII
A. C. 627.

Heraclii Vi-
ctoria.

Itaque Superstitio illa, quæ *Sortes
Sanctorum* dicebatur non minus Orientalium,
quam Occidentalium Christianorum animos
corrumpebat. Hic ea, quæ de his Sortibus
occasione Concilii Agathensis & alibi dixi,
relegi possunt. Postquam Heraclius in Albaniam
pervenit, quinquaginta millia captivorum,
quos adduxerat, commiseratione motus,
libertati restituta, etiam rebus ad reditum
necessariis adjuvit. Unde simul omnes
pro Heraclii incolumitate vota concipere,
cum lacrymis a Cœlo postulantibus; ipse
Persarum Liberator existeret, & Cosroem
perderet, quem Generis Humani perniciem
appellabant; is quippe crudelitate & innumeris
pecuniæ exactionibus omnium odium in se
concitaverat.

Sup. l. XXXI
n. I. XXXIV.
n. 32.

Sæculum VII

A. C. 627.

Theoph. an.
14. p. 260.

p. 263.

p. 264.
Chr. Pasch.
p. 391.

Postero anno 624. Heraclius fortuna non minus quam antea favente bellum gessit, cumque milites sui ad ingentem hostium multitudinem obstupescerent, dicebat: *Commilitones! Deo opem ferente unus vestrum mille hostes fugabit. Nos ipsos Deo in Sacrificium offeramus pro Salute fratrum nostrorum. Coronam Martyrii apprehendamus; sic nos futura Sæcula laudibus celebrabunt, & Deus mercedem dabit.* Illo anno, imminente jam hyeme, Heraclius Sarbazaram Persarum Ducem, occupavit incautum, & turbatis ordinibus in fugam vertit. Anni sequentis expeditio rursus Heraclio ex votis cessit; hinc Cosroes, furore agitatus omnium Ecclesiarum Persis subditarum thesauros diripi iussit, & Christianos, quo magis irritaret Heraclium, Nestorii Sectam profiteri coegit. Interim Civitas Constantinopolitana maximo periculo defuncta est; nam Sarbazara cum Persarum haud modico exercitu Calcedone erat, & e Regione opposita Avarum Dux, violata foederum fide, cohortes suas urbi admoverat, & communicatis cum Persis consiliis assultu superare pertinaciter contendebat. Verum Romanis mœnia fortissime tuentibus ab incepto desistere & suos abducere coactus est. Id factum mense Julio anno 626. atque manifestum auxilium per preces Sanctæ Virginis impetra-

petratum credidere. Anno 627. die Sab-
 bati, duodecimo Dec. Heraclius cum
 Persis conflixit, atque memorabili pu-
 gna per horas undecim continuas edita,
 penitus hostium agmina profligavit. Ro-
 manorum haud plures quam sexaginta de-
 siderati. Tum Imperator fugientium ter-
 gis imminens, captis Cosrois incensis-
 que Palatiis, in Persiæ interiora pene-
 travit.

Sæculum VII
 A. C. 276.

Th. p. 266.

§. XXXII.

Martyrium S. Anastasi.

Illo tempore S. Anastasius, qui ex Per-
 sarum Mago factus fuerat Monachus,
 desiderio Martyrii incensus, relicto suo
 Monasterio, quod prope Jerosolymam
 erat, Cæsaream Palæstinæ venit. Tunc
 illa Civitas Persis parebat, cumque per
 plateas ambulans aliquos Persas Artem
 supersticiosam tractantes conspexisset,
 tanta sermonis gravitate & vehementia
 errorem reprehendit, ut illi rogarent,
 ne rem cuiquam patefaceret. In equi-
 tes deinde incidit, qui exploratorem es-
 se rati, comprehendunt Monachum, &
 ad Ducem, cui nomen Marzabanus, de-
 ducunt. Is interrogatum, cum in Con-
 fessione Jesu Christi constantem videret,
 cum quodam altero captivo catena ea-
 dem vinciri, & utrumque prægrandes
 lapides ad fabricam deportare jussit. Qui-

V. S. Anast.
 c. 2. ap. Boll.
 tom. 2. p. 433.

Zz 5 dam

Sæculum VII A.C. 627. dam Persæ Anastasii populares, vili labori addictum conviciis quoque insectabantur, patriæ suæ probrum appellantes. At Marzabanus ad se adduci jussum, quia a fide dimoveri non poterat, se præsentem fustibus cædi jubet, id unum rogantem, ut exueretur habitu Monastico ne profanaretur. Ter Jesum Christum inter verbera confessus reducit in carcerem, ubi sine intermissione Deum laudabat, & suum officium (*) diu noctuque recitabat, cautissime attendens, ne juvenis, qui eadem catena ligabatur, quietem turbaret. Monasterii ejus Abbas, comperto, quod pro Christo pati cœpisset, toti Congregationi præcepit, ut pro eo oraret, duosque Monachos Cæsaream misit cum epistolis, quibus ad constantiam Christi pugilem exhortabatur. Interim Marzabanus datis ad Regem Cosroem litteris quæsierat, quid Anastasio faciendum, & responsoriis acceptis, misit, qui ei colloquerentur, & hortarentur, ut saltem secreto
coram

(*) Der Protestant gibt diese Worte, nebst unzähligen andern groben Fehlern, welche auf allen Seiten vorkommen: Und das hohe Amt bey Tag und Nacht hielt. Das ist ungeschickt genug. Nach einigen Zeilen zu Ende dieses Abschnitts auf seiner 590. Seite gibt er die Worte: Qui Martyrem confirmabant. Sie ermunterten den Ketzer.

coram se & duobus testibus Jesu Christo renunciat. Ubi cognovit invincibilem, Regis mandata ei indicavit; arctissime vinctum in Persiam esse deducendum. Tum in carcerem publicum detrudi jubet, post dies quinque cum duobus aliis Christianis iter ingressurum. Festo Exaltationis S. Crucis in illos dies incidente, nempe 14. Sept. anno 627. Anastasius cum duobus suis sociis, duobus Monasterii sui Monachis, & quibusdam viris piis illius Civitatis Vigiliam in carcere celebravit, simulque omnem noctem in oratione transegerunt. Imo aliquis tributorum Exactor Christianus a Præfecto obtinuit licentiam Anastasium in ipso Festo vinculis eximendi & ad Ecclesiam perducendi, ingenti omnium Fidelium solatio, qui Martyrem confirmabant, catenas, quibus vinctus fuerat, exosculabantur, &, quocumque poterant, honore prosequerentur.

Præstituta die captivi iter capeffere jubentur, multis Christianis Civitatis Cæsariensis partim Persis, partim alterius Nationis hominibus comitantibus. Unus quoque ex duobus Monachis Monasterii ipsius ex mandato Abbatis proficiscentem secutus est, ut omnia, quæ posset, exhiberet obsequia, &, quæcumque cum ipso acta fuissent, exacte referret. Ubique Martyr magna Christianorum lætitia & venera-

Sæculum VII
A. C. 627.

c. 5.

S. Anastasius
Persa.

Sæculum VII
A. C. 627.

neratione, ut ipse ad Abbatem suum re-
scripsit, excipiebatur. Ubi in Persiam
pervenit, in carcerem mittitur in quo-
dam loco a Regia Cosrois sex milliariis
dissito; qui, ubi nunciatum est, Ana-
stasium advenisse, misit ex Proceribus
unum, ut de eo quæstionem haberet.
Anastasius respondit per interpretem,
nam lingua patria, id est Persica, amplius
loqui nolebat, Jesum Christum confes-
sus est, & oblatam pinguiissimæ fortunæ
spem rejecit. His ad Regem delatis, al-
tera die eundem Ministrum misit, qui
Martyrem in terram prosterni supinum
jussit; tum jacentis cruribus asserem im-
posuerunt, cui utrinque in partibus ex-
tremis viri robusti institerunt. Hunc
cruciatum passus remittitur in carcerem.
At post aliquot dierum spatium adest ite-
rum ille Minister, & eum fustibus cædi
jebet, quod ubi ter diebus diversis Mar-
tyr sustinuit, magno lapide manui uni
& alteri pedi alligato suspensus duabus
horis relinquitur.

c. 6.

Post quinque dierum lapsum misit Rex
eundem virum cum mandato Anastasium
cum aliis captivis Christianis interficien-
di. Ducuntur extra Civitatem, statim-
que omnes alii, numero circiter septua-
ginta, quos inter duo illi Cæsarea cum
S. Anastasio adducti, strangulantur. Tunc
Anastasium interrogant, an cum istis mi-
sere

fere perire mallet, vel Regi obedire, & Sæculum VII
 purpuratis adnumerari. Martyr eleva- A. C. 628.
 tis in Cœlum oculis egit Deo Gratias,
 quod voti damnatus esset, & interro-
 gantibus respondit: sperabam, vos me
 truculentissima nece perempturos, si ve-
 ro non corporis sed animæ mortem in-
 ferre paratis, Gratias ago Deo meo, quod
 me saltem pœna levissima Sanctorum
 Martyrum suorum Gloriæ participem fa-
 cere dignatus sit. Hæc dicentem car-
 nifices sicut ceteros jugulant; sed dein-
 de caput ipsius solius amputatum ad Re-
 gem missum. Passus est vigesimo secun-
 do Januarii Imperatoris Heraclii decimo
 octavo, id est, anno 628. S. Martyris
 corpus postea pecunia redemptum Mo-
 nachus, qui eum secutus fuerat, in Mo-
 nasterio S. Sergii, inde uno tantum mil-
 liario dissipto, deposuit.

Post intervallum decem circiter die-
 rum, illo cum exercitu pervenit Hera-
 clius Imperator, ut S. Anastasius vatici-
 natus fuerat; nam pridie, quam Marty-
 rio afficeretur, dixerat: *Scitote, Fra-
 tres mei! me crastina per Dei Gratiam
 vitam positurum. Ceterum vos intra pau-
 cos dies liberabimini, & Rex iniquus oc-
 cidetur.* Monachus, qui ei comes da-
 tus fuerat, post unius anni spatium ad
 Monasterium reversus, tunicam Marty-
 ris afferens, totam rei gestæ seriem Ab-
 bati

Sæculum VII bati narravit, quæ tunc statim litteris
 A.C. 628. mandata, ad nos usque pervenit. S.
Mirac. S. Anastasii Corpus posteriore tempore ab
Anast. Boll. eodem Monacho Constantinopolim & in-
 p. 436. de in Palæstinam & Monasterium suum
V. Mab. Iter delatum est. Tandem Capitis imago, &
Ital. p. 142. ipsum Caput Romam translata, hodie-
Mart. R. 22. que in Monasterio, dicto ad Aquas Sal-
Jan. vias, quod etiam S. Vincentii & S. Ana-
 stasii nomen gerit, visuntur; nam utrum-
 que Ecclesia Romana 22. Januarii ho-
 norat.

§. XXXIII.

Cosroes necatur.

Th. p. 270. **C**osroes, quem non avaritia modo &
 crudelitas, sed etiam temeritas, qua
 pacem ab Heraclio Imperatore sibi obla-
 tam repulerat, suis omnibus invisum red-
 debant, etiam sub initium hujus anni
 628. licet Imperator totius prope Persiæ
 Dominus esset, pacis condiciones respuit,
 cumque Sabarzaræ, Calcedone cum co-
 piis morantis, Fidem suspectam habere
 coepisset, necari eum jussit; sed ille, ami-
 corum litteris de periculo admonitus, ini-
 to cum Romanis fœdere, a Cosroe aper-
 te defecit. Ceterum Cosroes in fuga alvo
 cita laborans, Mardesanem filium, quem
 ex Sirem uxorum suarum carissima genuer-
 rat, coronari voluit, quam ignominiam
 Siroes seu *Syrouye* major natu filius tam
 atro-

atrociter tulit, ut seditione commota & Sæculum VII
 pactis cum Imperatore Heraclio foede- A. C. 628.
 ribus se ipsum Regem pronunciari jus-
 serit. Cosroes capitur, vinculis onera-
 tur, & in domum tenebrarum, quam ad
 condendos thesauros suos ædificaverat,
 detruditur. Ibi, cum nihil nisi buccel-
 lam panis & aquam ei præberent, fame
 extrema torquebatur, ajebatque Siroes:
Aurum comedat, quod frustra corrasit,
& cujus amore excæcatus tot innocentes
perdidit. Satrapas quoque, & quoscun-
 que Patri infensos noverat, crudelis filius
 immisit, qui misero illuderent, & in fa-
 ciem expuerent. Mardefanes, cui co-
 ronam destinaverat, ceterique liberi ejus
 ad unum omnes in conspectu patris ene-
 cati, & ne suorum tantum exitium do-
 leret, interim ipse sagittis confixus len-
 ta morte tabescebat. Hunc exitum Cos-
 roes Persarum Rex proprio filio jubente
 habuit.

Rem tantam Heraclius Imperator
 data Epistola Constantinopolitanos edo-
 cuit, in qua mortem Cosrois 28. Febr.
 Indictione prima, nempe hoc anno 628.
 ponit, simulque misit descriptum exem-
 plar, Epistolæ a Siroe acceptæ, qua Im-
 peratorem certiolem facit, quod a suis
 fuerit coronatus, seque pacem exoptare
 profiteretur. Hæc Epistola Heraclii in
 Cathedra majoris Ecclesiæ Constantino-
 poli

Chr. Pasch.
p. 398.

Sæculum VII poli in Festo Pentecostes decimo quinto
A. C. 628. Maji ejusdem anni, Regni ejus decimo
 octavo recitata est.

§. XXXIV.

S. Crux recuperatur.

Theoph. p.
272. Sup.
n. 10.

Siroes cum Heraclio sincera mente pacem pepigit, eique omnes Christianos, tunc in Persia captivos, atque inter alios Zachariam Patriarcham Jerosolymitanum, item veram Crucem, cum Sarbazara annis abhinc quatuordecim urbem cepisset, ablatam restituit. Sancta Crux primum Constantinopolim allata; tum anno sequente 629, vere ineunte, Heraclius Imperator navigium conscendit, eam delaturus Jerosolymam, & Gratias pro concessis sibi victoriis Deo acturus. Ubi in urbem pervenit, Zacharia in Sedem suam restituto, Crucem etiam in locum pristinum reposuit. Illam ex theca, ut ablata fuerat, nemo extraxerat, quippe Patriarcha adstantibus Clericis illæsa signacula cognovit, admota clavi aperuit, adoravit, & populo ostendit. Qui primi hoc Factum litteris consignarunt, semper in numero plurali dicunt: *Ligna Crucis*, τὰ ξύλα. Unde colligimus, in plures partes fuisse divisam. Ecclesia Latina memoriam S. Crucis, ab Heraclio reductæ 14. Sept. celebrat; at Græci eodem die visum Constantini Magni

S. Niceph.
hist. p. 13.
Suid. Herac.

Magni recolunt, quamvis utrinque hoc Sæculum VII
 Festum Exaltationis S. Crucis nomine A. C. 629.
 tur, & aliunde certum habeatur, hoc Sup. l. IX. n.
 Festum illo Die diu ante Heraclii tempo- 43. v. Baron.
 ra fuisse celebratum. Is Judæos Jero- in Mart. R.
 solyma expulit, & saltem tribus millia- 14. Sept,
 riis abesse jussit; cumque Edeffæ versa- Theolp. an.
 retur, Ecclesiam, quam Cosroes Nesto- 19. Suid.
 rianis dederat, Catholicis reddidit. *Heract.*
 Ecclesiæ Majori Constantinopolitanæ Cle-
 ricisque, sicut prius, censum annum de-
 dit, ut pecunias in sumptus belli acce-
 ptas sensim solveret.

§. XXXV.

Dagobertus Rex Franciæ.

Heraclius Imperator ratam quoque ha-
 buit pacem initam cum Francorum *Fred. c. 62,*
 Rege, cujus Legati hoc anno 629. in
 Franciam redierunt, ubi tunc regnabat
 Dagobertus; nam Clotarius II. anno
 præterito 628. ex hac vita abierat, Re-
 gni sui quadragesimo quinto, ex quo
 Chilperico Patri suo successerat, & ad
 S. Vincentium prope Parisios, id est, ad
 S. Germanum de pratis sepultus est. Jam
 sex abhinc annis Clotarius Dagobertum
 filium suum Regno Austrasiæ præfecerat,
 dederatque Arnulphum Episcopum Me-
 tensensem & Pipinum (*) Majorem Domus,
 qui

c. 56.
 c. 47.
 c. 58.

(*) Hic est ille Pipinus celebratissimæ stirpis
Hist. Eccles. Tom. VIII. A a a Ca-

Sæculum VII qui Regem juvenem suis consiliis juva-
A. C. 629. rent. Et profecto! quamdiu his Con-
 siliariis usus est, prosperitate & Gloria
 abundavit Regnum ejus; sed sub idem
 tempus S. Arnulphus Sedem suam & Au-
 lam Regis fugit, quantumcunque Dago-
 bertus repugnaret, qui, ut eum a pro-
 posito dimoveret, nihil intentatum reli-
 quit, minatus etiam, se ejus filium capi-
 te plexurum. Vir Sanctus in solitudi-
 nem Vogesi montis prope Monasteria
 Remiremontii, & locum, ubi hodiedum
 Cella eremitica visitur, recessit, ibique
 anno circiter 640. obiit. Reliquiæ ejus
 Metas translatae adhuc hodie in celebri
 Abbatia, quæ ab ejus nomine nuncupa-
 tur, quiescunt. Ecclesia ipsius Memo-
 riam decimo octavo Julii colit.

*Vit. S. Arn.
 n. 17. Act. B.
 tom. 2. p. 154.*

*Mart. Rom.
 12. Jul.*

Post S. Arnulphi discessum Dagober-
 tus adhucdum suo Austrasiæ Regno se-
 cundum Regulas Justitiæ præfuit, Papi-
 num Majorem Domus & Cunibertum E-
 piscopum Coloniensem ad consilium ad-
 hibens.

Fred. c. 58.

Carolinæ Auctor, quoniam antiquiorem non in-
 venimus. Ex ipsius posteris genitus est Papi-
 pus, ejus nominis tertius, Caroli Magni Pater, pri-
 mus ex ea familia Franciæ Rex. Ceterum no-
 bilissimum hoc Genus non ex Gallis vel Roma-
 nis, veteribus Galliarum Incolis, sed ex Francia
 Victoribus, qui ex Germania advenerant, sine du-
 bio originem traxit.

hibens. Verum Clotario fati functo Sedem transtulit in Neustriam & a semita Justitiæ, quam huc usque tenuerat, recessit; nam Subditorum suorum Ecclesiarumque Bona rapiebat, ut ea thesauris suis inferret. Præterea in amore mulierum modum non tenuit; quippe anno 628. relicta Gomatrude, quam vivente patre duxerat, Nantildem, puellam, quæ in Palatio Reginae famulabatur, accepit, & anno sequente Regni sui octavo aliam insuper; nomine Ragnetrudem, amavit. Tandem tres habebat uxores, Nantildem, Ulfigundam & Berchildem, quæ tanquam Reginae colebantur, Concubinarum vero tantum numerum, ut Historiæ Scriptor vel sola nomina indicare nimis longum putaverit.

Sæculum VII
A. C. 629.

c. 60.

c. 58.

c. 59.

§. XXXVI.

S. Amandi Exilium.

Rex Dagobertus S. Amandum, reliquis Episcopis omnibus timide tacentibus, admitta crimina ingenua audacia sibi exprobrantem, e Regno suo ignominiose ejecit. Sanctus Episcopus in Regiones remotas abiit, Fidem Paganis prædicaturus. Interim cum Rex ex tot uxoribus necdum tamen ullam prolem suscepisset, eamque gratiam precibus a Deo flagitaret, adsunt, qui nuntiant Ragnetrudem ei filium peperisse, quod eum

Vit. S.

Aman. 15. to.

2. Act. B.

p. 715.

A a a 2 summo

Sæculum VII summo gaudio affectit; mox cogitanti, a
A. C. 630. quo puerum baptizari juberet, placuit
 ministros ad S. Amandum mittere. Postquam non sine magno labore inventus est, rediit, ut obediret Regi, quem Cli-
 ciaci prope Parisios morantem adiit. S. Viri adventu lætus Rex ejus pedibus
 advolvitur, veniam petit, rogat, ut puerum baptizaret, eumque in filium suum
 spiritualem acciperet. At S. Amandus, veritus, ne occasione hujus educationis
 negotiis sæcularibus contra præceptum Apostoli implicaretur, discessit e Regia.
 Illico Rex misit ad eum duos viros inter Aulicos præcellentes, Dadonem & Eli-
 gium, tunc quidem Laicos, jam tamen sanctitate conspicuos, qui S. Episcopo
 suggererunt, quod oblata cum Rege familiaritas majorem illi libertatem in to-
 to Regno, ubi videretur, Fidem prædicandi & Infideles convertendi datura
Fred. c. 62. esset. Illorum precibus S. Amandus flexi se passus est, jussitque Dagobertus fi-
 lium suum Aurelianum deferri, quo cum etiam Cherebertus Regis Frater, qui in
 Aquitaniæ parte imperabat, se contulisset, Patrini munere functus est. Itaque
 S. Amandus in manibus suis infantem accipit, & benedicit, ut Catechumenum
 faceret, & ecce nemine respondente, quadraginta dierum pulsio clara vocere-
 spondet: *Amen.* Illico baptizatur, &
 Sige.

Sigebertus vocatur, fuitque posteriore Sæculum VII
A.C. 630.
tempore Sanctitate quam Natalibus illustrior. Agebatur tunc annus Dagoberti regnantis octavus, id est, 630.

§. XXXVII.

S. Amandi Initia.

Sanctus Amandus in lucem editus fuerat Herbaugiae prope Nannetum, quæ vit. c. x:
Civitas illa ætate urbibus Aquitaniæ accensebatur, quia ultra Ligerim posita. Pater ejus Serenus & Mater Amantia vocabatur, unde cognoscas, ex Familia Romana ortos. Ab unguiculis SS. Litteris apprime imbutum, & vix pueritiam egressum, Perfectionis desiderium permovet, ut relicta patria in Monasterium Insulæ Anserinæ, in Ora Territorii Pictaviensis prope Insulam Rejam situm, se reciperet, parente ipsius nullum non lapidem frustra movente, ut filium ad Sæculum reduceret. Ipse Turonem pervenit, ubi ad S. Martini Sepulchrum orans, a Deo petiit, ut nunquam posthac patriam videre daretur, sed semper de loco in alium locum peregrinando vitam transigere liceret. Ibi, abscissis sibi capillis, Ecclesiæ illius Clericis adscriptus est. Inde accepta Benedictione Abbatis & Fratrum Bituricas se contulit, ubi S. Austregisilus, illius Civitatis Episcopus, & S. Sulpicius illo tempore Archidiaconus

Sæculum VII nus perbenigne excepto Cellulam prope
A. C. 630. Ecclesiam construi curarunt. Ibi annis
 circiter quindecim cilicio tectus & ci-
 nere, jejunans, & solo pane hordeaceo
 & aqua victitans permanfit.

Romam postea profectus, cum ali-
 quando in Ecclesia S. Petri noctem oran-
 do transigere vellet, ab Ostiariis probro-
 se ejectus est; tum extra limina sedenti
 S. Petrus apparuit, exhortans, ut in Gal-
 lias reverteretur Fidem Paganis annun-
 ciaturus. Ille obediit, atque haud diu
 postea circa annum 626. Rex Clotarius
 Episcopique Ordinem Episcopalem, nul-
 la Sede collata, suscipere repugnantem
 compulerunt. Episcopus ordinatus in
 Territoriis Tornacensi & Gandavenfi Fi-
 dem Infidelibus prædicare cœpit, ex Bra-
 bantia autem juvenes captivos, quot-
 quot poterat, redimebat, quos deinde
 baptizatos diversis Ecclesiis Ministros
 dabat. Ex his aliqui Presbyteri, alii
 Abbates, alii Episcopi evaserunt.

6. II. Ad hæc usque tempora nemo Regio-
 nem Gandavensem Fidem prædicandi
 causa adire ausus fuerat, partim quod
 sterile admodum esset solum, partim quod
 Incolæ supra omnes alios Infideles fero-
 cirent. Ceterum præter Idola etiam
 Arbores adorabant. S. Amandus homi-
 num cœcitatem miserans, Acarium No-
 viodunensem, proximum illis locis Epis-
 copum,

copum, adit, rogatque, ut ad Regem Da-
 gobertum cito se conferens scripta man-
 data acciperet, quibus baptismum acci-
 pere recusantes compellerentur; idque
 executioni datum. Primum est hoc Pa-
 ganos cogendi exemplum, quod obser-
 vaverim, nam de Judæis unum alterum-
 ve retuli, & ipse Dagobertus edito Man-
 dato jussit, ut omnes, qui in Regno suo
 versarentur, S. Lavacro abluerentur. Id
 cum Regula superius a S. Gregorio tra-
 dita, Conversionem ad Fidem oporteri
 esse liberam, haud ita facile conciliare
 posse videtur. (*) S. Amandus accepto
 Regis Mandato, & Episcopi Benedictio-
 ne, Gandavenses animo imperterrito a-
 diit, sed incredibile est, quanta ibi per-
 pessus fuerit. Sæpe a foeminis vel agre-
 stibus ignominiose rejectus, sæpe verbe-
 ribus affectus aut in profluentem detur-
 batus. Ab illis ipsis, quos Prædicatio-

A a 4 nis

(*) Constans semper in Ecclesia fuit S. Gre-
 gorii Regula, quacum conciliari Facta hic occur-
 rentia possunt, si dicamus, S. Amandi mentem
 non fuisse Gandavenses ad Fidem suscipiendam
 cogere, sed potius exhibito Mandato ostendere,
 quod non voluntate privata, sed Auctoritate
 publica munitus ad prædicandum illis JESUM
 Christum venisset. At Judæi dicuntur compulsi;
 nempe ea conditione, nisi solum vertere mal-
 lent.

Sæculum VII
 A. C. 630.

S. Amandus.

Sup.
 XXXV. §.
 21. 22.
 Fred. 6. 64.

Sæculum VII nis Socios adsciverat, ob Regionis steri-
A. C. 630. litatem desertus, prædicare non cessa-
 bat, labore manuum suarum panem
 sibi comparans. Miraculum deinde edi-
 tum Barbarorum animos paulo tractabi-
 liores effecit. Cum Totto Francorum
 Comes Tornaci Præfectus pro Tribunali
 sedens furem ad mortem damnasset, pro
 vita rei deprecabatur Amandus, sed fru-
 stra; nam Judex latam Sententiam exe-
 cutioni dari jussit, & condemnatum
 patibulo affigi, ubi expiravit. S. Aman-
 dus extincti corpus in illud cubiculum,
 in quo orare adsueverat, transferri cu-
 ravit; tum ubi illuxit, aquam petiit. At
 fratres, dum aquam afferunt putantes,
 illa opus esse ad lavandum corpus, prius-
 quam sepeliretur, obstupuerunt, cum
 penes S. Amandum conspicerent Virum
 viventem, sedentem, & Episcopo collo-
 quentem. Is resuscitatum a mortuis la-
 vit, vulnera ita purgavit, ut nullum am-
 plius appareret indicium, & in domum
 suam redire jussit. Baldemontius, qui
 hoc factum narrat, dicit, se illud a Bono
 Presbytero accepisse, teste, ut ipse refe-
 rebat, cum miraculum patraretur, præ-
 sente. Hoc Prodigio vulgato, accurre-
 runt Incolæ rogantes demississime S. E-
 piscopum, ut se Christianos faceret. Suis
 manibus Tempia destruxerunt, & horum
 loco S. Amandus Ecclesias & Monasteria,
 Regis

Regis aliorumque eximiæ Pietatis viro- Sæculum VII
rum largitionibus adjutus ædificavit. A. C. 630.

S. Episcopus, cum vidisset, Fidem in illis Regionibus radices agere, abiit ad Sclavos, ibi Evangelium annunciaturus; illi enim populi, nuper ex Septentrione advecti, non exiguam Germaniæ partem armis sibi subjiciebant. Igitur trajecto Danubio his Barbaris Fidem liberrime prædicavit, sperans, se Martyrii Coronam consecuturum; cum vero ferme nihil efficeret, ad Gregem suum rediit.

§. XXXVIII.

S. Eligii Initia.

Jam de duobus Viris Laicis, eximiæ Pietatis, Dadone & Eligio, in Regia Dagoberti spectatissimis loquamur. Senior vit. ap. Sur. I. Doc. &c. to. 5. Spic. p. 147.
erat Eligius, Lemovici natus ex Familia, longam Majorum Christianorum seriem numerante, & sine dubio Romana, quod Nomen ejus Latinum Eligius, & parentis ipsius Eucharius, probant. Is filium Doctrina Religionis a se optime institutum, cum singularem in puero industriamprehendisset; viro eximio, cui nomen Albo, Aurifici, & Rei Monetariæ Lemovici Præfecto tradidit, quam artem Eligius brevi tempore addidit. Nata occasione in Franciam, id est, in illam partem, quæ ultra Ligerim posita est, venit,

A a a 5 ubi

Sæculum VII ubi domum Bobbonis Regis Clotarii II.
A. C. 630. Thesauris præfecti frequentans, illius regimini se subiecit. Porro cum Rex cuperet construi sibi solium magnificum auro gemmisque coruscans, & Artificem in Regia non haberet, qui tale perficeret, quale ipse mente conceperat, Bobbo Eligii mentionem injecit. Cujus nomine audito lætus Rex, experimentum artis illius capere statuit, & Bobboni magnam auri vim tradidit, huic operi adhibendam. Eligius Sedem sedulo elaboratam attulit Regi, qui professus, expectationi suæ satisfactum fuisse, operis elegantiam palam laudavit, atque Artificem digno præmio donari præcepit. Ecce autem! statim Eligius ablato operimento & alterum solium primo simillimum ostendit, dicens, istud se ex auro sibi dato, quod superfluum erat, perfecisse. Rex fidem, & industriam admiratus, cum præterea festivum ingenium placeret, Regia amicitia & familiaritate dignatus est juvenem. Post hæc ipse Eligius rem Monetariam curavit, hodieque ipsius Nomen in quibusdam nummis aureis Parisiis sub Rege Dagoberto & Clotario filio ejus cufis conspicitur.

Le Blanc.
hist. mon. p.
p. 50. 54.

vit. c. 7. S. Eligius, ubi ad ætatem maturam pervenit, ut Conscientiæ suæ quieti consulere, coram Presbytero omnia, quæ ab infantia commiserat, confessus, rigi-
 dam

dam sibi ipsi Pœnitentiam injunxit. Hoc Sæculum VII
 primum est, quod sciam, Confessionis A. C. 630.
 generalis exemplum. Clotario defun-
 cto tanta fuit Eligii apud Regem Dago-
 bertum Auctoritas, ut invidiam impro-
 borum, quorum machinationibus forte
 pectus objiciebat, in se concitaverit.
 Interim varia artis suæ opera auro gem-
 misque fulgentia jubente Rege elabora-
 bat. Mancipium habebat de Gente Sa-
 xonum nomine Tillonem, cujus mores
 ad Pietatem formavit successu usque a-
 deo felici, ut vir magnus evaserit, sub
 Nomine S. Theavii notus, quem Eccle-
 sia septimo Januarii colit. S. Eligius
 manibus laborans semper librum ante
 oculos suos apertum inspiciebat, ut si-
 mul in Lege Divina erudiretur. Cir-
 cum parietes plurimi libri erant asseri-
 bus impositi, præsertim S. Scriptura, quam
 post Psalmidiam & Orationem legere
 solebat, & aliqui ex ejus familia Officium
 Canonicum diu noctuque cantabant.
 Inter illos numerantur Baldericus ejus
 Libertus, Tituanus ei a Cubiculis, na-
 tione Suevus, qui Martyrii coronam ad-
 eptus est, Buchinus, qui antea Paganus,
 deinde Abbas Ferreriensis fuit, Martinus
 Andreas & Joannes, quos Vir Sanctus
 Clericis adscribi curavit. E superiore
 cubiculi tabulato multæ Sanctorum Re-
 liquiæ pendebant, sub quibus oraturus
 super

c. 9.

c. 10.

S. Eligius.

Act. Ben. to.
2. p. 994.

c. 12.

c. 8.

Sæculum VII
A. C. 630.

super cilicium se prosternebat, & interdum in illo corporis habitu tota nocte perseverabat. Post Orationem, ut animum relaxaret, Psalmos cantabat. Mox lectionem repetebat, quam sæpe Calum intuendo, suspirando, & flendo interrompebat, nam Donum lacrymarum acceperat. A Rege vocatus, etiamsi famuli ab eo missi urgerent, prius tamen non ibat, quam Opera Pietatis, quibus adfueverat, absolvisset. Nunquam pedem domo efferebat, nisi prius orasset, & signum Crucis formasset, & reversus iterum ante omnia orabat.

Eligius magna erat statura, facie amœna, colore rubicundo, & crispis capillis. Simplicitas & prudentia ex aspectu elucebant. Initio vestibus induebatur opulentiam suam prodentibus, non nunquam holosericis totis, quamvis ipsius ætate rara esset illa materia, & interulis auro intexto nitentibus. Cingula quoque & crumenæ auro gemmisque splendebant; at postea in via virtutum Christianarum ulterius progressus, his ornamentis in pauperes erogatis, vilissimo cultu incedebat, & sapius fune cinctus conspiciebatur. Rex ei semel iterumque isto habitu ad se venienti vestes sibi ipsi detractas cingulumque donavit. Eleemosynas in pauperes spargebat immensas, & quæcunque a Regis beneficentia

tia obtinebat, egentibus dabat. Quando advena forte quærebat, ubi Eligius habitaret, respondebant: *In illam plateam te confer, & invenies in domo, quam plurimi pauperes circumstant.* Quocumque procederet, pauperum turba euntem sequebatur; dabat vero vel ipse vel per manus famuli domestici petentibus pecuniam & alimenta. Multos quotidie domi pascebat, quibus serviebat manibus suis, comedens deinde, quod supererat. Vinum & carnem pauperibus præbebat, quamvis ipse his nunquam uteretur. Sæpe jejunium per biduum triduumve continuabat, & non nunquam hora audita & mensa strata nihil supererat, quod suis pauperibus apponeret, quod prius omnia distribuisset; sed spem suam ponebat in Dei Providentiam, quæ ei per Regis aut aliorum piorum hominum largitatem semper succurrit. Corpora illorum, qui supplicio ultimo affecti fuerant, sepeliri curabat.

S. Eligius flagrantissima Charitate captivos redimebat. Quando ad ejus notitiam deveniebat, mancipium alicubi esse venale, promptissime illuc se conferebat, imo etiam quinquaginta aut centum una emptione liberabat, præsertim Saxones, qui turmatim vendebantur. His Vir Sanctus libertate donatis optionem faciebat; ad suos redirent, manerent

Sæculum VII
A.C. 630.

c. 11.

c. 22.

c. 31.

c. 10.

rent

Sæculum VII rent apud se, vel Monasteria ingrederen-
 tur, atque istorum maximam gerebat
 curam. Duo Monasteria celeberrima,
 unum prope Lemovicum, alterum prope

A. C. 631.
c. 15. 16.

Abt. Ben. to.
1. p. 1091.

Parisios fundavit. Primum est Monaste-
 rium Soliniacense, in quod Monachos
 Luxovio evocatos sub Regimine S. Re-
 macli, post hæc Episcopi Trajectensis,
 induxit, Abbas vero Luxoviensis roga-
 tus, ut hujus Monasterii curam gereret,
 & Monachos ad Regulam servandam
 compelleret. Porro S. Eligius a Rege
 obtinuit, ut Monasterio fundum, in quo
 ædificatum erat, donaret, id enim ex
 Charta Cessionis, anno Dagoberti deci-
 mo, nempe 631. data dispicimus. Hæc
 Congregatio brevi tempore usque adeo
 aucta est, ut centum quinquaginta Mo-
 nachos ex diversis Regionibus in ea nu-
 merare esset, qui varias artes mechani-
 cas excolentes Regulam exacte serva-
 bant. S. Eligius omnia, quæcunque
 poterat, huic Monasterio conferens, se
 ipsum illo recipere cogitabat; sed Dei
 Providentia aliud de eo decreverat. Re-
 gula in eo Monasterio ad vota stabili-
 ta, aliud Monasterium Virginum Parisiis
 fundavit in Domo, quam a Rege dono
 acceperat, & rigidam invexit Disciplina-
 nam. Congregatis ibi trecentis puellis
 partim mancipiis suis, partim nobili ge-
 nere in Francia natis Abbatissam dedit

vit. 6. 17.

S. Au-

S. Auream. Diu hæc Abbatia a S. Eligii Sæculum VII
 Nomine dicta stetit; sed tandem Redi- A. C. 631.
 tus illi Mensæ Episcopali Parisiensi adje-
 cti, & Domus Presbyteris, quos Barna-
 bitas vocant, tradita. Item extra Ci-
 vitem Cœmeterium pro Monialibus,
 & Ecclesiam S. Paulo dedicatam, ædifi-
 cavit, unde amplissima Parochia origi-
 nem traxit. Artem suam eo impendit,
 ut multorum Sanctorum Lipsantheas
 auro & gemmarum nitore ornaret, sci-
 licet, S. Germani Parisiensis, S. Severini,
 S. Piati, S. Quintini, S. Luciani, S. Ge-
 novesæ, S. Columbæ præter multas alias;
 industria vero singulari Sepulchra S. Mar-
 tini Turonensis & S. Dionysii Parisiensis
 decoravit, Rege Dagoberto sumptus sup-
 peditante, qui præterea in S. Martini ho-
 norem rogatus a S. Eligio Ecclesiæ Tu-
 ronensi omnes illius Civitatis redditus pu-
 blicos donavit, & Episcopo Comitem
 ibi datis litteris constituendi jus con-
 cessit.

c. 18.

c. 32.

S. Eligius etiam Miraculis claruit.
 Cum in Ecclesia S. Dionysii nocte Fe-
 stum Diem præcedente esset, virum mem-
 bris omnibus captum suis precibus sana-
 vit; sed hanc Gratiam S. Martyri in ac-
 ceptis referebat. In Ecclesia S. Germa-
 ni Parisiis homini annis novem claudo,
 & alteri in Gamaciensi Vico, item cœ-
 co in ponte Parisiensi, eleemosynæ loco
 petenti

c. 23.

c. 26.

c. 29.

Sæculum VII petenti, ut signum Crucis super oculos
A. C. 631. suos faceret, corporis salutem reddidit.

§. XXXIX.

*Monasteria in Territorio Bri-
nensi.*

Sancto Eligio amicorum carissimus erat S. Ovenus, seu Audoenus, alio nomine Dado, Filius Autarii seu Aldecarii, Viri inter Francos nobilissimi, in Territorio Briano habitantis, qui S. Columbanum, ut retulimus, in domum suam suscepit. Is alterum quoque habens filium nomine Adonem, utrumque ad Regiam Clotarii misit, ubi Dado, cum in amicitiam S. Eligii venisset, ipsius exemplo incitatus mundum contempsit, & unacum Fratre suo propositum concepit totum se Deo consecrandi. Ado haud diu post, quod sibi proposuerat, opere complevit; nam fundatum in agro suo, quem in ora ad Matronam possidebat, Monasterium Jovariense, quod tunc *Jotrum* dictum, opibus suis locupletavit, magnam Congregationem sub Regula S. Columbani collegit, & se in illud recepit. Credibile est Adonem duo Monasteria condidisse, unum virorum & alterum Virginum, quod secundum hodieque stat, habuitque primam Abbatissam S. Theodechildem S. Agilberti, postea Episcopi Parisiensis, Sororem.

S. Oveni

Sup. n. 7.
Joan. vit.
col. c. 50.
Aud. vit.
Elig. c. 8.

vit. S. Agili.
to. 2. Act.
Ben. p. 321.

Ibid. p. 486.

S. Oveni seu Audoeni magna Auctori-
 tas fuit in Aula Dagoberti Regis, Sæculum VII
A. C. 631. cujus
 Sigillum tanquam Referendarius seu Diplom. l. V.
tab. 16. Cancellarius servabat, & supersunt ho-
 die quædam Acta Autographa, quibus
 manu sua ex Officio subscripsit. Is im-vit. S. Agili.
to. 2. Act.
Ben. n. 14. 15. petratis a Rege in Sylva Briana prædiis,
 quæ in via e Vico Morino majore ad mi-
 norem pergentibus offeruntur, Mona-
 sterium construxit, quod Resbacum a
 nomine rivuli ibi fluentis, & hodie voce
 Gallica *Rebais* dicitur. Ad illud Mo-
 nasterium regendum ex consilio S. Fa-
 ronis Episcopi Meldensis Luxovio evo-
 cavit S. Agilum S. Columbani Discipu-
 lum, qui ad Sedem Episcopalem Meten-
 sem, Lingonensem, & Vesuntinam, item
 ad Abbatiam Luxoviensem deposceba-
 tur; unde necesse fuit adhibere Regis
 Auctoritatem, ut Resbacum ire jubere-
 tur. Hoc Monasterium dictum est Jeru-
 salem; Ecclesia a Sanctis Farone & A-
 mando consecrata, S. Eligio & S. Oveno
Fredeg. c. 78. præsentibus, & denique S. Agilus in Con-
 cilio Cliciacensi primo Maji 636. Dago-
 berti anno decimo quarto, Abbas con-
 stitutus. S. Audoenus & alterum Fra-
 trem habuisse dicitur, nomine Radonem,
 qui Monasterium dictum ex ipsius nomi-
 ne Radolium hodie *Reuil* prope Jova-
 riense & Resbacense fundavit; nunc
 vero Prioratus est. S. Ovenus deside-
Hist. Eccles. Tom. VIII. B b b rio

n. 16.

n. 19.

Fredeg. c. 78.

Sæculum VII^{rio} vitæ Monasticæ tenebatur, & Resba-
A.C. 631. cum se recipere meditabatur; sed nec
 Rex nec Optimates consenserunt.

§. XL.

Concilium Aurelianense sextum.

Vit. S. Aud. Sanctus Eligius & S. Audoenus viri lai-
s. 8. vit. ci tantum Auctoritate valebant, quan-
S. Elig. c. 35. tum alias Episcopi solebant. Hæreti-
 cus aliquis ex Regione ultramarina in
 Galliam profectus, cum Augustodunum
 venisset, errores subdole seminare cœ-
 pit. Re ad Regiam delata, S. Eligius de
 conservanda Fide semper sollicitus, col-
 latis cum S. Oveno aliisque Viris Catho-
 licis consiliis, Episcopos & Optimates
 exhortari non cessavit, donec Rege ju-
 bente Synodus in Civitate Aurelianensi
 congregata est, quo etiam ille Hæreti-
 cus venire compulsus. Is a quibusdam
 Viris doctis interrogatus, cum Logicæ
 artem calleret, dum jam jam convincen-
 dus videbatur, more serpentis evadebat,
 & novum sophisma afferens Adversarios
 fatigabat. Tandem Salvius Episcopus
 Valentinus fuisse creditur, qui detecta
 sermonis fallacia Hæreticum convicit;
 igitur ab omnibus Episcopis damnatur,
 & probrose e Gallia ejicitur.

Coint. an.
 634. n. 9.

vit. s. 36.

S. Eligio quoque instante, Parisiis
 pulsus est quidam Apostata, qui populum
 seducebat, & rursus alius diu in carcere deten-

detentus ex Regno Franciæ proscriptus, Sæculum VII
A. C. 631.
qui Episcopum se esse mentiebatur. Pa-
ri Auctoritate plures alios ejusdem fur-
furis Impostores, omnesque illos, qui
a Doctrina Catholica aberrabant, com-
pescuit.

§. XLI.

Monothelitæ.

Concilium istud inter Aurelianensia
sextum habetur, & memoratus Hæ-
reticus Monothelita fuisse putatur, nam
sub illud tempus nova Hæresis ex orco
emerfit. Res ita se habebat. Quidam
Episcopi, quamvis Concilium Calcedo-
nense reciperent, & duas in Jesu Chri-
sto Naturas confiterentur, nihilominus
affirmabant, unicam Operationem ei
tribuendam esse, idque ex unitate Per-
sonæ sequi. Theodorus Episcopus Pha-
ranensis in Arabia hujus Opinionis Au-
ctor extitit, eamque Sergius Patriarcha
Constantinopolitanus, in Syria ex Pa-
rentibus Jacobitis natus, recepit. Lit-
teris hac de re ad Theodorum datis mi-
sit ei illam Epistolam, quæ a Menna Pa-
triarcha Constantinopolitano ad Vigi-
lium Papam scripta dicebatur, & in qua
Opinio ista tradebatur; unicam in Jesu
Christo Operationem & Voluntatem
esse. Theodorus ad Sergium, cui hæc
Doctrina placebat, diligenter responsio-

*Conc. Later.
to. 6 p. 162.**Max. disp.
cum Pyr. to.
2. op. p. 183.
Theoph. p.
274.*

Sæculum VII rias dedit; sed postea liquido monstra-
 tum, quod Scriptum illud Mennæ aliquis
 A. C. 631. Falsarius commentus fuerit; imo ipse
 Conc. VI. Sergius pudendi doli Auctor creditus.
 act. 14. inf.
 L. XL. n. 4.

Is Paulo quoque Monoculo ex Secta
 Severianorum scribens, litteras Mennæ,
 & Theodori Pharanensis consensum mi-
 sit, forte quod eum ad Communionem
 Ecclesiæ reducere vellet. Item scripsit
 Sergius Georgio, cui cognomentum *Ar-
 Janes*, Paulianistæ, petens, ut Textus, ex
 quibus unica operatio, quam asserebant,
 probaretur, sibi mitteret, & adjiciens,
 his Textibus se ad reconciliandam ipsi
 Ecclesiam usurum. Nam Pauli Samo-
 sateni Sectatores, cum JESUM Chri-
 stum purum Hominem crederent, utique
 unam solummodo Operationem admit-
 tere poterant.

S. Joannes Eleemosynarius, illo tem-
 pore Patriarcha Alexandrinus hanc Epi-
 stolam sua manu Arfani eripuit, eumque
 hac de causa depositurus erat, nisi incur-
 sus Persarum, qui tunc in Ægypto gras-
 sabantur, obstitissent.

Bello Persico durante, Severianorum
 Princeps Imperatori in Armenia versanti
 Dissertationem obtulit, in qua errorem
 suum defendebat; at eum Imperator
 objecta Ecclesiæ Doctrina ad silentium
 compulit. Nihilominus, quia forsitan
 Sergium Constantinopolitanum de rebus
 Fidei

ep. Serg.
 conc. VI.
 Act. 12. p. 920

Fidei loquentem audierat, in illa disputatione de una in Jesu Christo Operatione mentionem fecit. Imo datis ad Arcadium Archiepiscopum in Insula Cypro litteris prohibuit, ne de duabus Operationibus in Jesu Christo post Conjunctionem mentio fieret. Arcadius quidem, nullam rationem hujus Epistolæ habens, Doctrinam Catholicam semper tenuit; sed haud diu post Imperator in Regione Lazorum commorans Cyro Episcopo in Phaside, & illius Provinciae Metropolitæ, illam Disputationem narravit, & Epistolam, Arcadio scriptam, legendam tradidit. Negabat Cyrus, posse se affirmare, unam tantum Operationem in Jesu Christo dari, & Epistolam S. Leonis ad Flavianum producebat, quæ duas Operationes manifeste docet. Sermone de hoc Fidei Articulo longius protracto, Imperator etiam Responsum Sergii Patriarchæ Constantinopolitani, cui Epistola ipsius ad Arcadium probabatur, legendam dedit. Non ausus est Cyrus amplius repugnare Principi, sed data ad Sergium Epistola, quæsit, quæ ratione secundum Scripturas defendi posset, in Jesu Christo post Conjunctionem non amplius duas Operationes, sed tantum unam Principalem esse. Epistola Cyri ad Sergium Indictione quarta, id est, anno 626. data est.

Sæculum VII
A.C. 631.

Sergius Constantinopolitanus.

Epist. Serg. Cypr. Conc. Later. Secr. 2. p. 123.

Ep. Cyr. Aff. 13. conc. 6. p. 949.

Conc. C. a. 12. p. 915.

Bb b 3

respon-

Sæculum VII respondit: Concilia Oecumenica hanc
 A. C. 631. Quæstionem non definierunt; imo ne qui-
 dem mota fuit. Sed scimus, quosdam
 ex Patribus, præsertim S. Cyrillum, in
 quibusdam Scriptis suis dixisse, unicam
 esse in Jesu Christo Operationem vi-
 visificantem. Mennas quoque, olim Ar-
 chiepiscopus Constantinopolitanus, Ser-
 monem scripsit ad Vigiliam, antiquæ
 Romæ Papam, directum, in quo unam
 tantum Voluntatem & unam Operatio-
 nem in Jesu Christo docuit; utque ipse
 legere possis, curavi illum describi cum
 quibusdam Textibus ad hanc Veritatem
 probandam, & nunc ad te transmitto.
 Quia vero dicis, S. Leonem dicentem,
 in Jesu Christo utramque Naturam o-
 perari, duas Operationes affirmare, scias
 velim, S. Leonis Epistolam, quæ revera
 est Columna Veritatis, a Severianis suis-
 se oppugnatam, & plures Doctores Ca-
 tholicos ejus Defensionem suscepisse; nul-
 lum tamen eorum novimus, qui dixerit,
 S. Leonem in illo loco duas Operatio-
 nes docuisse. Ne vero referendo tibi o-
 mnium textus nimis longus sim, satis fit,
 tibi transmittere unicum locum S. Eulo-
 gii Alexandrini, qui Dissertationem am-
 plam in Epistolam S. Leonis composuit.
 Nullum, inquam, ex Patribus novimus,
 qui usque in hanc diem duas in Jesu
 Christo

Sergii Epi-
 stola ad
 Cyrum.

Christo Operationes docuerit. () Si quis autem me doctior demonstrare queat, quod docuerint, illos absolute debemus sequi, quippe omnino necessarium est, ut Doctrinæ Patrum non modo quoad sensum, sed etiam quoad verba, nihil prorsus novi addendo inbæreamus. Postremo Sergius petit, ut Cyrus prompte respondeat.*

Inter hæc Athanasius Jacobitarum Patriarcha ad Heraclium Imperatorem, anno Regni ejus vigesimo, id est Christi 629. Hierapoli in superiore Syria morantem, salutatum advenit. Erat huic vi-

Theoph. p. 274.

B b b 4 ro

(*) Hic observandum, Sergium, qui toties illud jactat, quod nullus SS. Patrum duas Operationes affirmet, etiam nullum afferre Testimonium, quo duæ Operationes negantur. Porro sufficit Testimonium S. Leonis dicentis, utramque in Christo Naturam fuisse operatam, nec erat necessarium, ut Defensores Epistolæ S. Leonis vel alii Patres magis expresse duas Naturas docerent, tum quod in Concilio Calcedonensi etiam Viri Catholici vix satis patienter duas Naturas adeo expresse distinctas pronunciarum audivissent (suspiciabantur enim, his vocibus etiam duas Personas affirmari) tum quod tam sana Theologia quam Ratio naturalis duas Naturas admittentem etiam duas Voluntates & duas Operationes in Jesu Christo confiteri cogant. Ceterum infra patebit, SS. Patres clarissime duas voluntates dari docuisse.

Sæculum VII viro callidum & versutum ingenium,
 A. C. 631. quale tunc temporis Syrorum plerisque.
 Cum igitur Imperatori loqueretur, & de rebus ad Fidem pertinentibus mentionem solerter ingessisset, promisit Imperator, facturum se, ut Patriarchalem Sedem Antiochenam obtineret, si Concilium Calcedonense vellet recipere. Athanasius mentem simulans, se vero recipere dixit, & duas Naturas in Jesu Christo confessus est. Mox ex Imperatore percunctatur, quid de Operatione & Voluntatibus sentiendum, & an unam vel duas in Jesu Christo affirmare debeamus. Imperator, ista quæstione turbatus, de hac re ad Sergium Constantinopolitanum scripsit, & Cyrum Episcopum Phasianum accersivit, quem eadem cum Sergio sentientem habuit, scilicet, in Jesu Christo unam Voluntatem Naturalem & unam Operationem inesse. Hinc uterque Athanasio consentiebat, minime ignoranti, unam tantum Operationem confitentes, neutiquam duas Naturas posse defendere. Georgio Patriarcha Alexandrino anno 630. fatis functo, postquam Sedem illam annis decem tenuisset, Cyrus in ejus locum successit, Theodoro Episcopo Pharanensi, qui eidem errori favebat, junctus est. Hæc Secta Nomen Monothelitarum nacta est, ex duabus vocibus Græcis, *Monos*, solus, &

The-

Thelisis seu potius *Thelesis*, Voluntas, Sæculum VII
 derivatum. A. C. 631.

§. XLII.

Articuli Cyri Patriarchæ.

Cyrus Dignitatem Patriarchalem Alexandriae consecutus primas curas impendit ad reconciliandos Theodosianos, quamdam Eutychnorum, qui magno numero ibi erant, Sectam. Id vero facili negotio effectum dedit, cum nihil aliud ab ipsis petierit, quam ut unicum in JESU CHRISTO Operationem confiterentur. Acta Reconciliationis mense Ægyptiorum *Paiini*, Indictione sexta, seu quarto Maji, anno 633. data sunt. In iis novem Articuli seu Canones cum Anathematismis continentur, qui Doctrinam Catholicam de Trinitate & Incarnatione exponunt; at venenum in Articulo septimo latet, ubi dicitur, quod idem Christus, & idem Filius producat Operationes Divinas & Humanas una Operatione Theandrica secundum Sanctum Dionysium; id est, Deivirili seu Divina simul & Humana, ita ut distinctio solum ex parte nostri intellectus se teneat.

Conc. 6. Act.
p. 953.

Ep. Cyr.
p. 952.

Cum Sophronio Monacho sub S. Joanne Eleemosynario celeberrimo, tunc Alexandriae moranti, Cyrus Patriarcha Articulos Concordiæ examinandos tra-

B b b 5 didis.

Sæculum VII didisset, ille post primam lectionem ex-
 A. C. 633. clamare, flere largiter, ad pedes Patriar-

Sup. n. 13. chæ se prosternere, & obtestari, ne hos
Epist. Max. Articulos in lucem edi permetteret, quo-
ad Petr. to. niam Fidei Ecclesiæ Catholicæ adversa-
 2. p. 75. rentur, & Doctrinam Apollinaris lucu-

lenter continerent. Cyrus Monachi
 monitis insuperhabitis Concordiæ, cujus
 fundamentum novem Articuli erant, so-
 lemniter subscripsit tertio Junii, tuncque
 cuncti Theodosiani, Clerici, Magistra-
 tus, Officiales, populus, in Ecclesiam
 Alexandrinam convenientes in Sanctis
 Mysteriis communicarunt. Cyrus om-
 nibus, quæ acta erant, per manus Joan-
 nis Diaconi ad Imperatorem transmis-
 sis, simul etiam ad Sergium Patriarcham
 litteras dedit. Jacobitæ & Theodosiani
 Triumphum canebant dicentes; *Non*
nos accessimus ad Concilium Calcedonense,
sed Concilium ad nos venit, qui enim u-
nicam Operationem affirmat, unicam in
Jesu Christo Naturam confitetur.

Theoph.
 p. 174.

Sophronius, cum cerneret, se Ale-
 xandriæ operam perdidisse, iter suscepit
 Constantinopolim, ut Sergio loquere-
 tur, illucque eodem tempore, quo Epi-
 stolæ Cyri afferebantur, pervenit. Er-
 go Sergium exhortabatur, ut mentem
 mutaret, instantissime petens, ut in Ar-
 ticulis Cyri vox *una Operatio post dua-*
rum Naturarum conjunctionem delere-
 tur.

Epist. Serg.
ad Hon. p.
 921.

tur. Sed cum Sergius hujus Hæresis Sæculum VII
 cœteris omnibus tenacior esset, tantum A. C. 633.
 abfuit, ut eum audiret, ut potius, præ-
 textum obtendens Reconciliationis Hæ-
 reticorum in Ægypto, quam sine pecca-
 to, ut aiebat, nemo sufflaminare posset,
 tam factum, quam Doctrinam Cyri o-
 mnino approbaret; id enim ex ejus Re-
 sponsoria dispicimus, in qua Monothe-
 litarum errorem multo clarius quam Cy-
 rus profitetur. Nam loquitur in hunc
 modum.

*Conc. Later.
 Secr. 3. p.
 178.*

*Idem Iesus Christus res Divinas &
 humanas unica Operatione operatur, quia
 omnis Operatio Divina & Humana ab
 uno & eodem Verbo Incarnato proce-
 debat. Hic est sensus S. Leonis, dicentis;
 utramque Naturam cum participatione
 alterius operari. Hinc optime docuisti
 secundum S. Cyrillum, unam Naturam
 Verbi Incarnati, (*) & unam Hyposta-
 sin compositam, solo intellectu distinguens
 partes, quæ conjunguntur. Et infra:
 Postquam piam hanc Doctrinam accurate
 exposuisti, omnes Hæresum Auctores ana-
 thematizasti. Tandem plurimus est in
 laudibus Cyri & Imperatoris, qui ei Se-
 dem Patriarchalem Alexandrinam con-
 tulerat.*

§. XLIII.

(*) S. Cyrillus non dixit unam Naturam Ver-
 bi Incarnati; sed unam Naturam Verbi Incarna-
 ram. Lib. XXVI. §. XXIX.

Sæculum VII
A. C. 633.

§. XLIII.

Epistola Sergii ad Honorium.

Conc. 6. Act.
12. p. 617.

Interea Sophronius in Orientem rever-
sus mortuo Modesto, eodem anno 633.
Heraclii vigesimo quarto Patriarcha Je-
rosolymitanus invitus eligitur. Sergius,
hoc comperto, Honorii Papæ animum
præoccupaturus, dedit ad eum amplis-
simam Epistolam, in cujus exordio pro-
fitetur, nihil se nisi Papa consentiente
facturum. Deinde ad rem ipsam tran-
siens, hujus litis originem narrat in hunc
modum: *Haud multo abhinc tempore*
Imperatori, occasione belli Persici in
Armenia commoranti, Sectæ Severianæ
Caput, cui nomen Paulus, Sermonem tra-
didit, nempe Hæresis, quam profiteban-
tur, Apologiam. Imperator Pauli dicta
refutavit, virumque confudit, Doctri-
nam Ecclesiæ ei opponens, atque in isto
Colloquio mentionem de una in JESU
Christo Operatione injecit. Post hæc
Imperator, cum esset in Regione Lazo-
rum, de disputatione, quam habuerat cum
Paulo, locutus est præsentem Cyro, tunc
illius Provinciæ Metropolita, nunc Pa-
triarcha Alexandrino. Respondit Cy-
rus, se non satis scire, an populi docendi
essent, unam vel duas Operationes in JE-
su Christo dari, & jubente Imperatore
scripsit ad me, hac super Quæstione con-
sulens,

XIXX & .IVXX.

fulens, & quærens, an novissem aliquos ^{Sæculum VII}
 ex Patribus, qui de una Operatione men- ^{A. C. 633.}
 tionem fecissent. Respondi, & docui,
 quæ sciebam, misique Sermonem Mennæ,
 olim hujus Civitatis Patriarchæ, ad Vi-
 gilium, Antecessorem tuum, datum, in
 quo diversa loca Patrum de unica Opera-
 tione, & unica Voluntate Jesu Christi
 leguntur. At in isto Responso nihil om-
 nino ex me ipso loquor, sicut ex descripto
 exemplo, quod tibi mitto, videre poteris.
 Ita Sergius. Verum ea, quæ de factis
 ipsius superius retuli, præsertim Epistola
 Cyri & Sergii Responsum, ostendunt, ^{Sup. n. 40.}
 quam parum sincere scripserit.

Tum Sergius prosequitur in hunc
 modum: Exinde nulla amplius de hoc
 Articulo mentio. Sed ante breve tempus
 Cyrus Patriarcha Alexandrinus Dei
 Gratia & Imperatoris zelo excitatus Se-
 ctatores Eutychis, Dioscori, Severi, &
 Juliani, qui Alexandria degebant, ad
 Reconciliationem exhortatus est, & post
 aliquot Collationes non sine magno labore
 consecutus est, quod optabat. Partium ^{Sergii Epi-}
 consensu quidam Articuli Dogmatici con- ^{stola ad Ho-}
 scripti; quibus utrinque receptis Pax ^{norium.}
 non Alexandria modo, sed in tota ferme
 Ægypto, Thebaide, Lybia, aliisque Diæ-
 cesis Ægypti Provinciis secuta est. In-
 terim Sanctus Monachus Sophronius, nunc
 Patriarcha Jerosolymitanus (istud enim
 fama

Sæculum VII *fama ad me attulit, & necdum pro*
A.C. 633. *more Litteras ejus Synodicas accepi) Sop-*
hronius, inquam, tunc temporis cum Cy-
ro Patriarcha Alexandria versatus, im-
pugnavit unum ex Reconciliationis Arti-
culis, in quo de unica Jesu Christi Ope-
ratione agebatur, contendens, duas Ope-
rationes esse admittendas. Cyrus ei ali-
quos Patrum Textus ostendit, in quibus
unius Operationis mentio occurrebat.
Præterea vero hortatus est eum, ut per-
penderet, sæpe Patres nostros, quo ma-
gnum animarum numerum Deo lucra-
rentur, lenitate & indulgentia usos
fuisse, quin tamen ideo Doctrinæ Ve-
ritatem minime prodiderint. Sic etiam
hodie rebus ita se habentibus hac super
Quæstione, quæ Fidem non læderet, non
esse tricandum, cum etiam aliqui Pa-
trum hoc modo loquendi usi fuissent. At
Sophronio hæc Moderatio nullatenus pro-
babatur, & Constantinopolim delatus, ur-
gebat nos, ut hunc Articulum deleri
juberemus, quod nobis durum & inhu-
manum visum est, & tot populos novis-
sime reconciliatos rursus divisurum, po-
pulos, inquam, qui vel solum Nomen
S. Leonis, & Concilii Calcedonensis an-
tea horrebant, & nunc illud alta voce in
Sanctis Mysteriis recitant.

Postquam igitur hac de re cum Sopbro-
nio diu contulimus, tandem instantius
petimus,

petiimus, ut Patrum verba ostenderet, quæ expresse & in sensu proprio docerent, duas Operationes in Jesu Christo affirmari debere; quod neutiquam potuit. Quare, cum videremus contentionem istam exardescere, sciremusque, talia esse plerumque Hæresum exordia, necessarium esse existimavimus, ut ad tollendas has altercationes inutiles omnem curam adhiberemus. Unde Patriarcham Alexandrinum datis litteris hortati sumus, ne, Reconciliationis Schismaticorum negotio feliciter ad finem perducto, permetteret, quemquam amplius de una vel duabus Operationibus in Jesu Christo mentionem facere, sed præciperet, ut cuncti potius cum Conciliis Oecumenicis dicerent, unum & eundem Jesum Christum res Divinas Humanasque operari, omnesque ejus Operationes indivisibiliter ab eodem Verbo Incarnato procedere, & ad illud solum referri. Nam, licet unius Operationis mentio in quibusdam Patribus legatur, ista tamen enunciatio quibusdam videtur extranea & nova, timentibus, ne illa utentes Duas Naturas negare velint, quod Deus avertat! multis etiam affirmatio duarum Operationum offendiculo est, quia hæc Doctrina in nullo SS. Patrum invenitur, & inde sequitur, duas Voluntates contrarias esse admittendas, ita ut

Sæculum VII
A. C. 633.

Monothe-
litæ.

Sæculum VII *ut Verbum pro Genere humano pati*
 A. C. 633. *voluerit, Humana Natura non voluerit,*
 nam tunc etiam duarum Voluntatum
 duo principia deberemus admittere, quod
 impium est; quia impossibile est, ut idem
 subjectum simul respectu ejusdem objecti
 duas voluntates contrarias habeat. (*)
 Atqui Patres nos docent, Carnem Do-
 mini animatam anima rationali nun-
 quam sensisse motum naturalem ab im-
 perio Verbi separatum aut contrarium,
 atque ut clarius mentem nostram expli-
 cemus: sicut corpus nostrum ab anima
 rationali regitur & gubernatur, ita to-
 tum Compositum Humanitatis Jesu Chri-
 sti semper & in omnibus Verbi Divini-
 tati & imperio Dei subjectum erat.

p. 925. Et infra: Tandem inter nos convenit,
 ut Sophronius nec de una nec de duabus
 voluntatibus amplius mentionem faceret,
 sed satis ipsi esset trita via incedere, &
 Doctrinam Patrum certam sequi. Id
 igitur nobis promisit, petiitque, ut Re-
 sponsorias tuas descriptas sibi mitteremus,
 quam hac super quæstione se interroga-
 turis

(*) Male infert hic Sergius, malus Theolo-
 gus! Nunquam Voluntates absolute contrariæ
 in Christo Domino fuere; nam cum in monte
 Oliveti oravit Patrem suum, ut auferret a se Ca-
 licem Passionis, addidit: *Fiat voluntas tua!*
 Matth. 26. 42.

turis ostenderet. Id nos facturos lubentissime condiximus; ipse vero ad sua reversurus navem conscendit. Ante paucos dies Imperator Edesse commovans datis ad nos litteris petiit, ut Textus Patrum de una Operatione & una Voluntate in Sermone Dogmatico Mennæ ad Vigilium scripto contentos exciperemus, sibi que mitteremus; quod fecimus. Ad Imperatorem quoque, ejusque Sacellanum omnia in hac causa a nobis acta, & quantum intersit, hanc Quæstionem non rimari, sed necessarium esse, ut constanti Patrum Doctrinæ in hæreamus, perscriptimus. Tum Responsum ab Imperatore accepimus tanto Principe dignum. Necessarium credidimus de his omnibus, missis descriptis exemplis, te certiolem reddere. Rogamus, ut omnia legas, si sermonibus nostris quidquam desit, suppleas, & dato Responso Sententiam tuam nobis aperias.

Sæculum VII
A. C. 633.

Hæc est illa Epistola Sergii Constantinopolitani ad Honorium Papam data, fallaciis & fucis plena. Epistolas suas ad Theodorum Pharanensem, ad Paulum Monoculum, & ad Georgium Arsanem diffimulat, Imperatoris quoque Epistolam ad Arcadium Cyprensem silentio premit, & quæstionem de duabus Voluntatibus ignorasse se simulat, antequam sibi Cyrus ex Phaside scripsisset. Semper con-

Sup. n. 43.
Max. disp.
to. 2. op. p.

183.

Hist. Eccles. Tom. VIII. Ccc fictum

Sæculum VII fictum Sermonem Mennæ ad Vigilium
A. C. 633. commemorat, quem ad id ipsum procude-
 rant, ut Monothelitarum Hæresin fulci-
 rent. Mentitur, Patres aliquos unam
 Operationem docuisse, & nullum eorum
 mentionem de duabus intulisse; nam
 contrarium ex iis, quæ sequuntur, dispi-
 ciemus. Tandem falsum etiam est, quod
 dicit, S. Sophronium promississe, se super
 hac Quæstione silentium servaturum.

§. XLIV.

Responsum Honorii.

*At Honorius Papa ad Sergii malam fi-
 dem non advertens, respondit in hunc
 modum: Litteras tuas accepimus, ex
 quibus cognovimus, aliquas altercationes
 exortas, & Quæstiones de nomine motas
 a quodam Sophronio tunc Monacho, &
 nunc Episcopo Jerosolymitano contra Fra-
 trem nostrum Cyrum Episcopum Alexan-
 drinum, qui Hæreticos nuper conversos
 docet, unicam in Jesu Christo Operatio-
 nem dari. Item Sophronium, cum ad te
 venisset, meliora edoctum, querelas omi-
 sisse, & petiisse a te, ut Doctrinam tuam
 scriptam ei mitteres. Porro descriptum
 exemplum hujus Epistolæ tuæ ad Sophro-
 nium considerantes, videmus te in scri-
 bendo providum & circumspectum fuisse;
 hinc laudamus a te factum, quod novas
 voces sustuleris, quæ Simplicibus scandalo
 esse*

esse potuissent. Et infra: *Unicam in* Sæculum VII
A. C. 633.
Œsu Christo Voluntatem confitemur,
quia Divinitas non peccatum nostrum as- p. 929.
sumpsit, sed Naturam nostram, & ta-
lem, qualis creata fuit, antequam pec-
catum eam corrupit. Et infra: Nihil p. 932.
in Conciliis aut in Scriptura occurrit,
unde nobis ad docendam unam vel duas
Operationes Auctoritas concilietur; sed
forte aliquis balbutiendo ita locutus est,
ut sermonem Auditoribus infirmis accom-
modaret, quod Dogma Fidei haberi non
debet. Nam Œsum Christum esse uni-
cum Operantem tam per Divinitatem quam
per Humanitatem Scripturæ in omnibus
paginis loquuntur; at scire an propter
opera Divinitatis & Humanitatis unam
vel duas Operationes dicere vel concipere
debeamus, nostra parum interest, idque
Grammaticorum iudicio relinquimus. Et p. 932.
iterum: Rejiciamus has voces novas, qui-
bus Ecclesiæ scandalizantur; nec rudes
duarum Operationum voce offensi Nesto-
rianos nos putent, aut Eutychianos cre-
dant, si in Œsu Christo unicam Opera-
tionem confiteamur. Sermonem claudit p. 933.
in hunc modum: Istud nobiscum doce,
sicut illud etiam unanimi tecum consensu
docemus. ()* Hæc est celeberrima Epi-
 C c c 2 stola

(*) Sunt ex Protestantibus, qui dicant, illos
 Æthio-

Sæculum VII stola Honorii Papæ ad Sergium Patriar-
A. C. 633. cham se consulentem data.

§. XLV.

Ecclesia Anglicana.

Sup. n. 37. **H**onorius Papa Eduini Regis Nordhum-
Beda II. hist. briæ in Anglia Conversione com-
c. 17. perta datis litteris eundem ad perseve-
rantiam

Æthiopem lavare, qui Honorium ab Hæresis Mono-
nothelitarum macula vindicare contendunt. At
si hujus Epistolæ verba, & temporis adjuncta
mature pensentur, liquet, A catholicos Honorio
injuriam facere. Nam imprimis exploratum
est, Papam non voluisse Quæstionem decidere,
sed putasse a novis vocibus abstinendum. Tum
ubi dicit; *Unicam in Jesu Christo Volunta-
tem confitemur &c.* De Voluntate Christi in
sensu morali accepta, non autem in sensu phy-
sico, manifeste loquitur. Putavit etiam, parum
interesse unam vel duas Operationes affirmare,
si credamus Jesum Christum esse unicum ope-
rantem tam per Divinitatem, quam per Huma-
nitatem. Denique Monothelitæ unicam in Chri-
sto Operationem temere & pertinaciter affirma-
bant; at Honorius Papa id non solum nunquam
affirmat, sed etiam affirmandum non esse clare
pronunciat, dum dicit: *Ne Eutyochianos nos
credant, si in Jesu Christo unicam Operatio-
nem confiteamur.* His & pluribus argumentis
Honorium egregie vindicat Cardinalis Baronius.
*Præterea, ut inquit Palatius, hæc, quæ scripsit
Sergius,*

rantiam hortatus est. Lectionem quo- Sæculum VII
 que Operum S. Gregorii suadet, & sub- A. C. 633.
 jungit: *Quæ vero in causa Ordinationis*
Episcoporum vestrorum a nobis postula-
sti, lubentissime concedimus, & duobus
Metropolitæ Honorio & Paulino Pallia
mittimus, ut postquam DEus alterutrum
ex hac vita evocaverit, superstes defuncto
vi hujus Epistolæ Successorem dare possit;
idque ob locorum distantiam indulgemus.
 Id est, nec ex Anglia Romam currere
 necesse sit. Hæc Epistola undecimo Ju- c. 18.
 nii anno 634. Indictione septima data
 est. Justo Archiepiscopo Cantuariensi vi-
 ta functo, Honorius electus, ut mortuo
 succederet, ad S. Paulinum Eboracensem
 venit, qui eum a tempore S. Augustini
 quintum Episcopum Dorvernensem seu
 Cantuariensem consecravit. Scoti, id est,
 Hiberni Honorium Papam datis litteris se

C c c 3 ex-

Sergius, non poterant ut hæretica recusari,
cum ab homine venirent tunc magnæ existima-
tionis, & in ejusdem Sergii Epistola nil esset,
quod Chalcedonensi adversaretur Concilio; imo
in ea de duabus in Christo Naturis indivise &
inconfuse conjunctis contra Eutychetem clara
esset assertio, juxta Doctrinam Orthodoxam
& singillatim nominatam Leonis Epistolam.
Demum se Honorii Censuræ subjiceret, si quid
ipse minus vel amplius dictum esse cognosceret.
 Plura hæc de re recurrent infra.

Sæculum VII exhortantem, ut singularem suam in celebrando Festo Paschæ consuetudinem dimitterent, non audierunt.

A C. 633.
 Post-Angliæ †
 c. 15.
 Eduinus Rex, cum in Fide esset zelosissimus, Carpualdum Regem Est-Angliæ † seu Anglorum Orientalium permovit, ut Religionem Catholicam cum toto populo suo susciperet. Redualdus hujus Regis Parens, olim in Regione Cantiorum baptizatus, ubi ad suos rediit, ab uxoris blanditiis & quibusdam perversis Doctoribus seduci se passus est, usque adeo, ut Cultum veterum Deorum suorum & Jesu Christi Religionem jungens in eodem Templo duas aras erexerit, alteram Jesu Christi Sacrificio peragendo, alteram victimis Dæmoni immolandis destinatam. Filio ejus Carpualdo haud diu post Conversionem suam occiso, illa Provincia triennio in errore permansit, dum Regnum capefferet Sibertus Frater ejus, qui in Gallia, cum ibi exul degeret, ad Sacra Christiana transfierat. Is Regiam potestatem consecutus nihil antiquius habuit, quam ut omnes nervos ad convertendam totam Provinciam intenderet, ejus pios conatus Felice Episcopo in Burgundia nato & ordinato strenue adjuvante; quippe Felicem, cum Honorium Archiepiscopum Cantuariensem adiisset, eique suum desiderium Fidem Infidelibus prædicandi ape-

aperuisset, is ipse Archiepiscopus ad illam ^{Sæculum VII}
 Anglorum Orientalium Nationem misere- ^{A. C. 633.}
 rat, ubi adeo feliciter laboravit, ut tota
 Provincia conversa Sedem suam Episco-
 palem in Civitate Dummocensi figere li-
 cuerit, & ibidem post annorum septen-
 decim lapsum in pace spiritum Deo red-
 diderit.

S. Paulinus Eboracensis etiam in Pro-
 vincia Lindensi in ora Humbri fluminis
 ad meridiem, qua Oceanum spectat, Fi-
 dem prædicans Præfectum Lincolnæ
 convertit, & ibi Ecclesiam ædificavit.
 In Provinciis vero Angliæ Regi Eduino
 subditis adeo tranquilla Pax regnabat,
 ut in proverbium abierit, dicebant enim,
 puerperam cum pusione recens nato ab
 uno mari ad alterum tutissimo navigare
 potuisse. Apud fontes, qui proficiscen-
 tibus in viis publicis occurrebant, Edui-
 nus labra ex cupro apponi iussit, quæ
 nemo furto auferre ausus est. At Rex
 optimus non ultra annos septendecim Re-
 gnum tenuit, nec ultra annos quadraginta
 septem vitam produxit, nam 13. Octobr.
 anno 633. in acie cecidit adversus Car-
 duellam Britonum Regem, qui cum Pen-
 da, Anglorum Principe ex Natione Mer-
 ciorum inita armorum societate ab E-
 duino defecerat. Ipsorum Victoria Ec-
 clesiæ in Nordhumbria nascentis exi-
 tium fuit, quippe Penna, sicut omnes

c. 16.

c. 20.

C c c 4

Mer-

Sæculum VII Mercii, Infidelis erat, & Carduella, A. C. 633. quamvis Religionem Christianam profiteretur, Paganos feritate longe superabat. Mulieres quoque & infantes in tormentis enecabat, totam Nationem Anglorum ex Britannia extirpaturus; nec ulla erat Religionis Christianæ, quam amplexi fuerant, Reverentia, quia Britones eam contemnebant, nec majus illis cum Christianis, quam cum Gentilibus erat commercium; atque iste rerum status exinde post annos centum nempe Bedæ ætate perdurabat. Regis Eduini caput Eboracum reportatum in Ecclesiam S. Petri, quam ædificare cœperat, repositum est.

In illa Ecclesiæ & Regni Nordhumbriæ calamitate, S. Paulinus atque Edelburga Regina, quam olim adduxerat, liberique ejus fugere coacti, & itinere maritimo in Cantium reversi ab Honorio Archiepiscopo & Rege Edulbaldo honorifice excepti sunt. Rex & Archiepiscopus S. Paulinum ad suscipiendam curam Ecclesiæ Roffensis, tunc, defuncto Episcopo Romano, Pastore destitutæ invitarunt. Subiit ille Munus, & hanc Ecclesiam usque ad mortem suam rexit. Eboraci Paulinus reliquerat Jacobum Diaconum, qui multos fidem docuit, & baptizavit, cumque huic Ecclesiæ Pax reddita est, alios in Cantu Romano, quem appri-

apprime didicerat, instituit, & usque ad Sæculum VII
A. C. 633.
 Bedæ tempora superstes fuit.

§. XLVI.

Concilium Toletanum IV.

In Hispania Concilium Toletanum IV. *to. 5. Conc.*
 nono Dec. anno III. Sisenandi Regis, *p. 1702.*
 æra 671. id est, anno 633. celebratum.
 Aduere sexaginta & duo Episcopi, qui-
 bus S. Isidorus Hispalensis præerat. Ei
 proximi erant alii Metropolitæ Narbo-
 nensis, Emeritanus, Braccarensis, Toleta-
 nus & Tarraconensis. Nam Concilium
 istud erat Nationale, nempe totius His-
 pania, & illius partis Gallia, quæ Go-
 this parebat. Tunc temporis Sedem Ar-
 chiepiscopalem Toletanam tenebat S. Ju- *Sup. n. 21.*
 stus, antea Abbas Monasterii Agalien- *Ildeph. illust.*
 sis, ubi a prima ætate sub Disciplina S. *c. 8. Act. SS.*
 Helladii Antecessoris sui educatus fue- *Ben. to. 2.*
 rat. Is eximio corporis habitu fuit, ma- *p. 147.*
 gno ingenio & facundia præditus; sed
 annis tribus tantum in Episcopatu vixit.
 Alii Episcopi in hoc Concilio præ ceteris
 illustres fuere Braulion Episcopus Cæ-
 saraugustanus, Joannis Fratris sui Suc-
 cessor. Hanc Sedem annis ferme vi- *Ildeph. c. 11.*
 ginti obtinuit, & quorundam librorum
 Auctor extitit. Nonnitus Gerundinus
 antea Monachus, tum quasi per inspira- *c. 9.*
 tionem Cœlestem ad Dignitatem Epis-
 copalem electus. Vir simplex admodum

C c c 5 Eccle-

Sæculum VII Ecclesiam suam magis exemplo suo, quam
 A.C. 633. verbis regebat. Conantius Palentinus,
 c. 10. qui hanc Sedem ultra annos triginta te-
 nuit. Habitus & Sermonis gravitate
 venerabilis Officium Divinum & Can-
 tum in Ecclesia ordinare amabat. Præter
 Episcopos sexaginta duos septem absentium
 Episcoporum Legati interfuere.

Omnibus in Ecclesia S. Leocadiæ con-
 gregatis Rex Sisenandus cum aliquot O-
 ptimatibus intravit, tum in terram pro-
 stratus coram Episcopis inter lacrymas
 & gemitus petiit, ut pro se Deum ora-
 rent; deinde hortari cœpit, ut jura Eccle-
 siæ tuerentur, & abusus tollerent. Epis-
 copi septuaginta Canones condiderunt,
 quorum primus Fidei Confessionem con-
 tinet. In ea Mysteria Trinitatis & In-
 carnationis adversus præcipuas Hæreses
 clare explicantur. Expresse affirmatur,
 quod Spiritus S. a Patre & Filio proce-
 dat. Negligentia Episcoporum in con-
 vocandis Conciliis vituperatur tanquam
 teporis, quo Disciplina Ecclesiastica re-
 laxatur, principalis causa, & præcipitur,
 ut saltem semel in anno celebrentur.

c. 3. Si de Rebus Fidei agendum sit, aut de
 aliqua Causa communi, Concilium gene-
 rale ex tota Hispania & Gallia convo-
 cetur; si vero de Causis privatorum, Sy-
 nodi in singulis Provinciis in loco a Me-
 tropolita præstituto, decimo quinto Cal.
 Jun. 9

Jun., id est circa medium Maji, quando ^{Sæculum VII}
herbis crescentibus terra viret, cele- ^{A.C. 633.}
brentur.

§. XLVII.

Conciliorum celebrandorum Ritus.

Conciliorum celebrandorum Ritus hic minutatim, quod nullibi alias me legisse memini, præscribuntur; nec dubitandum, quin ex antiquissima Traditione originem ducant. Hora diei prima ante Solis ortum omnes ex Ecclesia exire jubeantur, & claudantur portæ. Offitarii omnes sub illa stent, qua Episcopi intraturi sunt. Ipsi simul omnes intrabunt, & secundum tempus Ordinationis suæ considebunt. Post Episcopos vocentur Presbyteri, quos advocandi causa aliqua subsuerit, & deinde Diaconi, quos admittere visum fuerit. Episcopi sedent in Circulo, & post ipsos Presbyteri, sed Diaconi coram Episcopis stent. Tum Laici intrent, quos isto honore dignos Concilium judicaverit. Notarii quoque ingredi jubeantur, lecturi & literis adnotaturi, quæ necessaria sunt, & portæ custodiantur. Postquam Episcopi diu in silentio sederint mente ad Deum elevata, Archidiaconus dicat: Orate! illico omnes in terram se prosternant, & in silentio inter lacrymas & gemitus diu orent. Tunc ex Senioribus Episcopis aliquis

c. 4.

Sæculum VII aliquis surgat, & alta voce orationem
A. C. 633. pronunciet, reliquis in terra jacentibus.
 Oratione recitata & omnibus respon-
 dentibus: Amen, Archidiaconus dicat:
 Levate! mox surgant omnes, atque E-
 piscopi & Presbyteri in timore Dei, &
 modeste confideant.

Silentibus omnibus, Diaconus Alba
 indutus in medium afferat Librum Ca-
 nonum, & illos, qui de celebrandis Con-
 ciliis aliqua statuunt, legat. Tunc Epis-
 copus Metropolitanus loquatur, illosque
 qui aliquam Causam habent, hortetur,
 ut proponant. Si quis Actionem moveat,
 ad aliam causam tractandam prius non
 digrediantur, quam illa fuerit finita. Si
 quis extra Concilium constitutus Pres-
 byter, Clericus, aut Laicus propter Cau-
 sam aliquam Concilium adire cupiat, i-
 stud Metropolis Archidiacono aperiet,
 qui Concilio denunciabit. Tum Parti
 intrare licebit, & causam proponere.
 Nullus Episcopus ex illa Sessione disce-
 dat ante horam, quæ ad eam solvendam
 præstituta est. Nemo Concilium relin-
 quat, priusquam omnia fuerint peracta,
 ut omnes Decretis subscribere possint.
 Nam credere oportet, Deum illi Conci-
 lio adesse, in quo Causæ Ecclesiasticæ si-
 ne tumultu, sedulo & tranquille defi-
 niuntur.

§. XLVIII.

Sæculum VII
A. C. 633.*Canones de Ritibus.*

Concilium præcipit, ut diversitas Officiorum in Ecclesiis particularibus tollatur, ne hominibus rudibus istud discrimen Schisma esse videatur. *Itaque, ajunt Patres, deinceps eundem orandi & psallendi ordinem in tota Hispania & Gallia, eundem Ritum in Celebratione Missarum, & Officiorum vespertinorum & matutinarum observabimus, nam veteres Canones præceperunt, ut quælibet Provincia eandem consuetudinem in precibus, & in Administrandis Sacramentis retineat.*

S. Isidorus hujus Concilii quasi anima fuit, & ex ipsius Operibus dispicitur, quantam Rituum Ecclesiasticorum notitiam sibi comparaverit; hinc Liturgiæ Hispanicæ, quæ postea Mozarabica dicta, principalis Auctor habetur. Nihilominus ipse fatetur, S. Leandrum Fratrem suum in ea concinnanda multum collaborasse.

*Mabill. I.
Lit. Gall.
c. 4. n. 8.*

*Isid. Script.
c. 41.*

Utigitur in Hispania Cæremoniarum diversitas tolleretur, præcipitur primo, ut tribus mensibus ante Festum Epiphaniæ Metropolitanæ alter ad alterum perscribant, qua die Festum Paschæ celebrandum esset, id Suffraganeis suis indicent, ut omnes una die hoc Festum celebrarent.

*Conc. tol.
c. 5.*

c. 6.

Sæculum VII brarent. In Hispania Baptismus unica
 A. C. 633. immersione secundum S. Gregorii Sen-
 tentiam conferatur, ne approbare vi-
 deantur Doctrinam Arianorum, qui ba-
 ptizandos ter immergebant, quia sine
 trina immersione Fides Trinitatis verbis
 satis exprimitur. Ecclesiæ in Parasceve
 non claudantur, sed Officium celebretur,
 populo Passio Domini nostri prælegatur,
 & peccatores ad petendam magno cla-
 more scelerum suorum veniam excitentur.
 Illa die non solum usque ad Nonam,
 sed usque dum Officium fuerit completum,
 & preces Indulgentiæ persolutæ, omnes jejunent.
 Ista Indulgentia verisimiliter illud fuerit,
 quod nos Absolutionem appellamus. Ubique
 & etiam in Ecclesiis Galliæ in Vigilia Paschæ
 Cereus benedicatur, qua Ceremonia sancta
 nox Resurrectionis honoratur. Alleluja
 tota Quadragesima non cantetur, quia
 tempus tristitiæ & pœnitentiæ est. Item
 prima die Januarii Alleluja non cantetur,
 & abstinentia a carnibus servetur,
 ut nihil Christianis cum Superstitione
 Gentilium commune sit. In Missa Laudes
 post Evangelium & non post Epistolam
 dicantur. Per has Laudes intelligendum
 est secundum S. Isidorum illud Alleluja,
 quod hodieque post Evangelium in Missali
 Mozarabico visitur. Hymni a SS. Patribus,
 puta a S. Hilario & S. Ambrosio

I. Ep. 41.

Supl. XXV

§. 12.

c. 7.

Canones
 Concilii To-
 letani.

c. 8.

c. 9.

c. 11.

infr.

XXXVIII.

n. 13.

c. 12.

vid. Mabill.

1. Lit. c. 4.

n. 12. Et p.

443. Isid. 1.

Eccles. Off.

c. 13.

brofio compofiti in Ecclefiis fine fcrupu-
 lo decantentur, quamvis ex Sacra Scri-
 ptura ficut nec aliquae Miffæ, aliæque
 preces Ecclefiæ, excerpti non fint. Die-
 bus Dominicis & in Feltis Martyrum Hy-
 mnus trium puerorum in camino ignis
 cantetur. Hymnus hic in Miffali Moz-
 arabico non amplius invenitur, fed ibi
 adhuc leguntur illa verba: *Gloria &*
Honor Patri, ficut ea recitari in Conci-
 lio Toletano præcipiuntur, non vero fim-
 pliciter *Gloria Patri*, ficut ea nos hodie
 dicimus. In Miffa Benedictio detur
 ftatim poft Orationem Dominicam, &
 ante Communionem, quam Presbyteri
 & Diaconi coram Altari, ceteri Clerici
 in Choro, & populus extra Chorum ac-
 cipiant. Nempe ad fingulos fua Com-
 munionio in locum, in quo ftabant, more
 Romano deferebatur. Benedictio de
 qua hic fermo, eft illa Benedictio Epis-
 copalis, cujus ufus etiam hodie in mul-
 tis Ecclefiis Franciæ viget. Aliqui in
 Hispania Epifcopi Orationem Domini-
 cam tantum Diebus Dominicis recita-
 bant; fed Concilium præcipit, ut fingulis
 diebus tam in Officio publico, quam
 privato dicatur, & hujus rei obligatio-
 nem ex Auctoritate S. Cypriani, S. Hi-
 larii & S. Auguftini probat. Item præ-
 cipit, ut in Officio a Pascha ufque ad
 Pentecoften legatur Liber Apocalypfis,
 quem

Sæculum VII
 A.C. 633.

c. 14.

c. 15.

c. 18.

Sup. Lib.
 XXXVI.
 §. 19. c. 19.

c. 10.

c. 17.

Sæculum VII
A. C. 633.

c. 40.

quem illa ætate aliqui necdum credebant Canonicum. Diaconis unum tantum Orarium seu Stolam & non duas gestare liceat, quæ nec auro, nec variis coloribus splendeat. Usus contrarius prævaluit, & Diaconorum Stolæ, quæ priscis temporibus semper lineæ erant, nunc ex pannis pretiosis comparantur. Diaconi Stolam in humero sinistro habeant, ut brachio dextro in Sancto Ministerio libere uti possint. Omnes Clerici coronam ejusdem formæ habeant, id est coronam proprii capillitii, ita ut capitis vertex rarus emineat. Nam prius Lectores in Gallæcia prolixis crinibus sicut Laici incedebant, & solum exiguum verticis orbem radebant.

c. 41.

§. XLIX.

Alii Canones.

Præterea antiqua statuta de Ordinationibus Episcoporum, præsertim quæ ad Libertatem Electionis pertinent, renovantur, & quælibet Irregularitas speciatim memoratur. Præcipitur Episcopis Presbyteris & Diaconis, ut Syncellitas habeant, id est, exploratæ probitatis viros, qui in eodem secum cubiculo dormiant. Clerici juvenes in uno loco habitent sub custodia Senis sapientis, & si Pupilli sint, Episcopus non solum Bonorum ipsorum, sed etiam vitæ & morum curam

c. 19.

c. 22.23.24.

ram gerat. Clerici, qui Seditioe ex-
 orta arma corripuerint, gradu suo deji-
 ciantur, & ad pœnitentiam agendam in
 Monasterium detrudantur. Pœnam
 eandem subire cogantur, qui Magos, A-
 ruspices, Augures, aliosve Divinatores
 consuluerint. Episcopus aut Clericus
 depositus, etiam injuste, Munere suo
 non denuo fungatur, nisi ei prius Digni-
 tatis suæ Insignia solemniter reddita
 fuerint, sicut ea in sua Ordinatione ac-
 cepit. Id est, Episcopo Orarium, An-
 nulus, & Pedum, Presbytero Orarium
 & Casula, Diacono Orarium & Alba,
 Subdiacono Patena & Calix iterum tra-
 debantur.

Episcopi non prius Reos examinan-
 di provinciam in se suscipiant, quam de
 obtinenda vitæ gratia juramentum eis
 præstitum fuerit. Si Episcopus in effu-
 sione humani sanguinis partem habuerit,
 deponatur. Episcopi Judices potesta-
 te sua abutentes admoneant; & si er-
 rorem non emendaverint, Regi indi-
 cent.

Clericis ad vitam Monasticam trans-
 euntibus Episcopi impedimentum non
 ponant. Item Episcopi Monachos ad o-
 pera servilia in commodum suum non
 adhibeant, ita ut Monasteria pene in præ-
 dia Episcoporum convertantur. Non
 plus

Sæculum VII
 A. C. 633.

c. 45.

c. 29.

c. 28.

c. 31.

c. 32.

c. 50.

c. 51.



- Sæculum VII plus juris sibi in Monasteria usurpent,
A. C. 633. quam Canones eis tribuunt; Monachos
 ad omnium virtutum exercitium hor-
 tentur, Abbates, ceterosque Officiales
 constituent, & curent, ut Regula obser-
 vetur. Qui urgente periculo Pœnitentiam
 receperunt, nullo crimine specia-
 tim exposito, sed confessione generali
 dicentes, se esse Peccatores, si voluerint,
 Clericis adscribi possint. Illis vero, qui
 Pœnitentiam recipientes peccatum mor-
 tale publice confessi fuerint, aditus ad
 Ordinem Clericorum nunquam pateat.
6. 54. Pœnitentes, qui suo arbitrio ad aliorum
 Laicorum statum redierint, Episcopus in
 pœnitentium ordinem denuo redigat, &
 si recusent, aut ex pœnitentium statio-
 ne secundo fugiant, tanquam Apostatæ
 habeantur, & Anathemate percutiantur.
6. 55. Illa adhuc ætate Viduæ dabantur, Deo
 consecratæ per Professionem publicam,
 ubi præsentem Episcopo vestes mutabant,
 quamvis nulli Congregationi jungeren-
 tur. Hæ Sanctimoniales, seu Mulieres
 Religiosæ, appellabantur, quibus exinde
 nubere non licebat.
6. 56. Episcopus Servos Ecclesiæ manumit-
 tere non possit, nisi aliunde Ecclesiam in-
 demnem præstet; & si non præstiterit,
 Successor ejus manumissos ad pristinam
 servitutem subeundam compellat. Tam
 Liberti

Liberti Ecclesiarum, quam eorum Post-
 ri semper Ecclesiis obstricti remaneant,
 & ad illa obsequia præstanda teneantur,
 quæ Patroni a Libertis suis exigere solent.
 Servi Ecclesiæ Presbyteri aut Diaconi
 rurales ordinari possint, si prius fuerint
 manumissi. Post eorum mortem omnia
 ipsorum Bona Ecclesia acquirat. Tales
 etiam tam parum, quam alii Liberti con-
 tra Ecclesiam testes esse possint. Eccle-
 sia Libertos privatorum, si Episcopus ro-
 gatus fuerit, in suam Tutelam recipiat.
 Liberti non possint ad Ordines admitti,
 nisi Patroni eos ab obligatione reddendi
 omnia obsequia relaxaverint.

Exinde non compellantur Judæi ad
 suscipiendam Fidem, quam omnes non
 aliter quam libera voluntate, & sola Præ-
 dicationis vi permoti amplectantur; illi
 vero, qui regnante Rege Sisebuto ad pro-
 fitendum Religionem Christi coacti sunt,
 quia jam Sacramenta receperunt, nem-
 pe Baptismum, Sancti Chrismatis Un-
 ctionem, atque Corpus & Sanguinem
 Domini Nostri, cogendi sunt ad servan-
 dam Fidem, etiam vi adhibita susceptam,
 ne Religio Infidelium ludibrio exponatur,
 & Nomen Domini blasphemetur. Nemo
 sive Clericus sive Laicus Judæos cum Fi-
 dei detrimento sub pœna Excommunica-
 tionis tueatur.

Sæculum VII
 A. C. 633.

c. 70. 71.

c. 74.

c. 72.

c. 73.

c. 57.

c. 58.

D d d 2

Istud

Sæculum VII

A. C. 633.

c. 59.

c. 60.

Istud ideo cavetur, quia etiam Episcopos invenire erat, qui acceptis a Judæis muneribus corrumpi se patiebantur. Judæi Apostatæ mancipia a se circumcisa amittant, quæ in libertatem afferantur. Omnes Judæorum parvuli parentibus suis eripiantur, & Monachis, vel aliis notæ Pietatis hominibus, tradantur, Religione Christiana imbuendi.

§. L.

Fidelitas Principi debita.

In ultimo Canone Concilii Toletani de Obedientia Regibus debita agitur, quod ut plenius intelligatur, scitu necessarium est, qua via Sisenandus ad Regnum pervenerit. Sisebuto anno 621. fatis functo successit filius Reccaredus II. sed is trium solummodo mensium Rex fuit. Ipso præcoci morte erepto, Gothi Regem elegerunt Suintilam sub Regni auspiciis ob res gestas carissimum; quippe Romanos tota Hispania expulit, & omnium primus universam sibi subjecit. Cum vero anno 625. Ricimerum filium suum infantem Regem proclamari jussisset, in se concitavit indignationem Optimatum, quorum aliquis, cui nomen Sisenandus, Dagoberti Regis Franciæ auxiliis suffultus effecit, ut anno 631. Gothorum Rex salutaretur. Proinde Suintila, postquam

annis

Isid. Chr. to.
1. Bibl. Lab.
p. 69.

Fredeg. c. 73.

annis decem regnasset, deponitur, & Si-
 senandus, ut Regnum vacillans stabili-
 ret, hunc ultimum Canonem in Conci-
 lio Toletano apponi voluit. Et quis sciat,
 an non hæc causa præcipue Regem ad
 convocandum tantum Episcoporum nu-
 merum impulerit?

Sæculum VII
 A. C. 633.

Enimvero in hoc Canone Patres il-
 lorum populorum perfidiam acriter ob-
 jurgant, qui fidem Regibus suis jura-
 tam frangunt, eorum Auctoritatem sper-
 nunt, vel vitæ insidiantur. Deinde ad-
 dicitur: *Nemo igitur Regnum invadat,*
aut Seditiones commoveat, sed ubi Prin-
ceps decesserit, Optimates ex tota Na-
tione congregati cum Episcopis Succes-
sorem eligant. Hic dispicimus, Reges
 Gothorum per Electionem ad solium
 fuisse vocatos, & in eligendo Principe
 etiam Episcopis suas partes fuisse. Ista
 exhortatione finita Concilium Anathe-
 ma terribile pronunciat in quemcunque,
 qui ausu temerario juramentum Regi
 præstitum violaverit. Ter exclamatur,
 toties toto populo respondente, *Ana-*
thema Maranatha! & pars ejus sit cum
Juda Iscariote. Tum Episcopi Regem
 Sisenandum præsentem, & Successores
 ejus rogant, ut Justitiam & Moderatio-
 nem ament, atque minantur, si quis Prin-
 ceptis futuris temporibus more Tyranno-

Sæculum VII rum sæviat, eum a Jesu Christo anathe-
A. C. 633. matizandum, & a Deo separandum. Sub-
 jungunt: *Quod vero pertinet ad Suin-*
tilam, qui se ipsum criminum suorum
horrore Regno privavit, ex consensu
Gentis nostræ declaramus, nunquam nos
cum ipso, uxore ejus, aut liberis so-
cietatem inituros, nec eos ad aliquem
bonoris gradum evecturos; imo Bonis
suis esse privandos censemus, illis solum
exceptis, quæ iis Regis Clementia con-
cedet. Eadem poena in Gelam Suintilæ
 Fratrem pronunciatur. Tale fuit Con-
 cilium IV. Toletanum, & primum, quod
 sciam, in quo Episcopi ad Regi-
 minis Politici partem ad-
 mittantur.

FINIS TOMI OCTAVI.



INDEX